UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Synopsis || Rerum Variarum || Ab || Orbe Condito Ad Sæculum Nostrum XVIII. || gestarum, simúlque ||

**Kolb, Gregor**

**Augustæ Vindelicorum, 1724**

**VD18 14497743**

Series Romanorum Pontificum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-64332

Visual Library

# SERIES ROMANORUM

| Pontificum Nomen, Patria, plurium Stemma, Anni Sedis. | Pontifices Virtutibus & quibusdam Miraculis clariores. | Pontifices ab Augmento Eccleſiæ dato notiores. | Pontifices Rituũ Eccleſiæ, dierum Feſtorum & Canonizationis Promotores. |
|---|---|---|---|
| **SECULUM I.**<br>1. D. Petrus Galilæus, ex Piſcatore Apoſtolus & denique Chriſti Vicarius *M.* an. 24.<br>2. D. Linus Nob. Hetruſcus *M.* 11.<br>3. D. Cletus Romanus *M.* 12.<br>4. D. Clemens I. Romanus *M.* 9. | D. Petrus Chriſti mandato Romã delatus & apparitione confirmatus, Simonem Magum &c. virtute & miraculis confudit, ſub Nerone dein *Perſecutionem I.* ſuſtinuit, in cruce mortuus.<br>D. Linus ſolius vocis virtute Idola ex alto præcipitavit, dæmones fugavit, inter Energumenos Saturnini Conſulis filiam liberans.<br>D. Cletus inſigni patientiâ clariſſimus tulit *Perſecutionem II.* ſub Domit.<br>D. Clemens à Trajano in Tauric. inſulam ejectus *Perſecutionem III.* pertulit inter miracula inſignia.<br>NB. *Ob rerũ copiam omittuntur virtutes et miracula non pauca ſeculis omnibus.* | D. Petrus in Italia, Sicilia, Gallia, Germania & Hiſpania multos conſtituit Epiſcopos; in Italia nimirum DD. Ptolomæum, Marcũ, Paulinũ, Appollinarem, Euprepium &c. in Sicilia Pancratium, Martianum, Berillum &c. in Gallia Linum, Martialem, Sixtum, Sabinianum &c. in Germania Eucharium, Egiſtum, Marcianum &c. in Hiſpania Torquatum, Secundum &c.<br>D. Cletus S. Ædiculas in urbe erigens ad imitationem ſui animavit ſubditos Epiſcopos in Italia & Regnis alijs.<br>D. Clemens inter Corinthios exortas turbas magnô Eccleſiæ bonô compoſuit. | D. Linus fæminas velatis capitibus juſſit Sacris intereſſe.<br>D. Cletus Stationes Romæ & alijs in locis inſtituit.<br>D. Clemens veſtes Sacerdotales &c. præſcripſit, verba ſimul aliquot Miſſæ Sacrificio addidit.<br>Hoc ſeculo à Pontificibus inſtituta eſt dies Dominica cum diebus feſtis haud paucis e. g. Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes &c. Item Jejunium quatuor temporum cum Quadrageſima. |
| **SECULUM II.**<br>5. D. Anacletus Athenienſis *M.* 9.<br>6. D. Evariſtus Græcus *M.* 9.<br>7. D. Alexander Nob. Romanus *M.* 10.<br>8. D. Sixtus I. Nob. Romanus *M.* 10.<br>9. D. Telesphorus Græcus *M.* 11.<br>10. D. Hyginus Athenienſis *M.* 4.<br>11. D. Pius I. Aquileienſis *M.* 9.<br>12. D. Anicetus Syrus *M.* 8.<br>13. D. Soter Campan. Ital. *M.* 4.<br>14. D. Eleutherius Neapolitanus *M.* 15.<br>15. D. Victor I. Africanus *M.* 9. | Tanta fuit virtus hoc II. ſeculo &c. Romanorum Pontificum, ut ipſe Lutherus cum ſociis eos *ſanctos Pontifices* dixerit, quos ad hoc aſſerendum commovit omnium nævorum abſentia, quæ virtutis crebrò eſt probatio optima.<br>D. Evariſtus ſub Hadriano Imperatore *Perſecutionem IV.* magnô ſuſtinuit animô multorum Chriſti Athletarum & Dux & ſocius.<br>D. Victor furente Imperatore Septimio Severo, aut veriùs hujus ſocero Plautiano in *Perſecutione V.* extinctus eſt, nunquam magis Victor, quàm ita victus. | D. Anacletus Titulos Romæ, ſeu Eccleſias certis limitibus diſtinctas Presbyteris & Diacon. aſſignavit.<br>D. Alexander Dominicæ Paſſionis cultor eximius pro augmento Eccleſiæ egit tulitque plurima ſub Aurelio Antonino: exemplũ Alexandri fortiſſimè ſecuti ſunt inter multos Hermes urbis Præfectus & Quirinus cum filia Balbinia, quam contactu catenarũ ſanatam & mirati & imitati ſunt plures.<br>A D. Eleutherio Lucius Britannorum, à D Victore Donaldus Scotorum Reges petiêrunt Miniſtros ſacros, à quibus proinde Chriſtiana dogmata edocti ſunt Angli & Scoti. | D. Evariſtus ſeptem Diaconos Pontifici Rom. ad concionẽ dicenti juſſit adeſſe teſtes adverſus quosvis obtrectatores. Connubia clandeſtina prohibuit.<br>D. Alexander uſum aquæ luſtralis promovit: panẽ aptã Conſecrationi materiam fermentô miſceri prohibuit: vinum verò aquâ mitigari præcepit.<br>D. Telesphorus vernũ jejuniũ decretô firmavit. Nocte nati Servatoris Sacrũ ter dici à Sacerdotibus voluit: hymnum *Gloria in excelſis &c.* introduxit: Sacerdotes &c. à profanis Tribunalibus exemptos eſſe declaravit.<br>D. Hyginus baptizandis unum ſaltem patrinum addidit.<br>D. Anicetus Clericorũ capillos coronæ ſimiles formari juſſit; conſecrando Epiſcopo tres Epiſcopos conſtituit; Archi-Epiſcopum ab alio, quàm Primate ſuo in jus vocari vetuit &c. |

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# PONTIFICUM.

| Pontifices Religioſorũ Ordinum, ac Cœtuum &c. Confirmatores. | Pontifices Literarum & Literatorum magni Æſtimatores. | Pontifices Pſeudo-Pontificum & Schiſmaticorum Victores. | Pontifices Hæreticorum intra & extra Concilia Oecum. Condemnatores. |
|---|---|---|---|
| D. Petrus Apoſtolici Collegii à Chriſto Ordinum omnium Religioſorũ Principe Divino Præſes conſtitutus, unà cum ſubditis Apoſtolis obtinuit locum inter Ordines Religioſos primum.<br>D. Cletus ex multorum opinione inſtituit *Ordinem Crucigerorum* dictum.<br>D. Dionyſius Areopagita Monaſticæ Profeſſionis hoc ſeculo jam factæ meminit *c. 6. Eccleſ. Hierarchiæ.* | D. Petrus D. Leonem Volaterris Romam Studiorum causâ profectum in domo Q. Fabii unà cum diſcipulis aliis literas maximè ſacras docuit.<br>Pontifices hujus ſeculi à quatuor Evangeliſtis plurimùm adjuti, diſcipulos ſacris in ſcholis numerârunt jam multos, ex quorum numero denique Epiſcopos, alios Sacerdotes, alios Diaconos creârunt.<br>NB. *Cùm Pontifices omnes mediocri ſatè doctrinâ inſtructi fuerint, hinc non niſi ſcientiis clariſſimorũ mentio fit hoc loco.* | Græci diſſidebant ab Hebræis ob ſuas viduas à miniſterio Eccleſiæ excluſas; ad ſchiſma hoc tollendum creati ſunt à Summo Epiſcopo ſeptem Diaconi, inter quos D. Stephanus eminebat.<br>Simon Magus Pſeudo-Pontificum anteſignanus res ſacras mercimoniis exponere auſus, damnatur ab Apoſtolorum Principe; ſe tamen Dei Vicarium fingit, ut D. Petrum ſua de Sede agat præcipitem. A D. Irenæo *primogenitus Sathanæ* fuit appellatus. | D. Petrus condemnavit Simonem Magum & Simoniacos, item Eunomianos *ſoli Fidei* omnia tribuentes. Hos ipſos impugnârunt etiam Apoſtoli Joannes, Jacobus & Judas.<br>SS. Cletus & Clemens damnârunt Ebionis, Cerinthi & aliorũ dogmata, quibus Chriſto omnẽ Divinitatem adimere conabantur. Contra hos ſcripſit Evangelium ſuum S. Joañes, incipiens à *Genealogia Servatoris noſtri ſecundùm humanitatẽ.* Damnati ſunt teſte Irenæo hæretici alij, qui docuerũt, *Deũ eſſe authorem omnium pravorum actuum.* |
| D. Theleſphorus *Anachoreta* dictus ſolitariam vivendi methodum partim exemplô ſuô, partim Pontificio favore multùm animâſſe creditur.<br>D. Pius cœtus Virginum ea lege probavit, ut ante 25. annum nulla ita ſuſciperetur, ut liber non pateret regreſſus. Virginibus congregatis uſum *velaminis* præſcripſit; unde Athenagoras Athenienſis Philoſophus Chriſtum hoc ſeculo profeſſus in Apologia ſua ſic habet: *Invenias multos ex noſtris & viros & feminas, qui in cœlibatu conſeneſcunt, quod Deo conjunctiores ſe futuros ſperent.* | D. Hyginus Athenienſis quondam Philoſophus primam Eccleſiæ Hierarchiam à Tyrannis turbatam in elegantes gradus diſtinxit à Philoſophia ſua auxilium accipiens. Cum Juſtino Philoſopho, quem ab Antonino Cæſare permagni æſtimari non ignoravit conſilia communicans, hujus Philoſophi operâ cades Chriſtianorum impedivit.<br>D. Victor doctrinâ clarus cum Tertulliano Virorum hoc tempore doctiſſimo Rempublicam literariam promovit adverſus Ethnicos & Hæreticos maximè. | D. Pius anno Pontificatûs ſecundô decretum edidit Schiſmaticis contrarium, quo Paſcha die Dominica celebrari mandavit, contempta Hebræorum ſuperſtitione à nonnullis in Aſia Epiſcopis probata.<br>D. Victor eoſdem Epiſcopos in ſua ſententia pertinaces anathematis fulmine ab Eccleſiæ communione removit, laudatus ob hoc à Concilio Nicæno I. non minùs Tertullianum inſulæ ſpe dejectum, & ob hoc ad Montanos actum transfugam proſcripſit. | D. Anacletus & Succeſſores damnârunt Saturninũ &c. qui docebat 1. *Mundum à 7. Angelis eſſe creatum.* 2. *à Matrimonio tanquam à re diabolica eſſe abſtinendum &c.*<br>Item Baſilidem, Carpocratem, Marcioniſtas &c. quorum primus ſpargebat *Cœlos eſſe conditos à 300. Angelis &c.* ſecundus aſſeruit *Chriſtum à S. Joſepho eſſe genitum &c.* reliqui dicebant *non eſſe licitum deſiderare Martyrium &c.* contra hos ſcripſit D. Ignatius & D. Irenæus cum Tertullian.<br>Damnati ſunt à Sede Romana Montaniſtæ docentes 1. *Deum Patrem pro hominibus eſſe mortuum.* 2. *Perſecutionis tempore nemini licitam eſſe fugam &c.* Item Quartadecimani *Paſchatis feſtum Sabbatho affigentes*, Patripaſſiani & Monarchici, *unicam in Divinis Perſonam aſſerentes &c.* |

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

| Pontificum Nomen, Patria, plurium Stemma, Anni Sedis. | Pontifices Virtutibus & quibusdam Miraculis clariores. | Pontifices ab Augmento Eccleſiæ dato notiores. | Pontifices Rituū Eccleſiæ dierum Feſtorum & Canonizationis Promotores. |
|---|---|---|---|
| **SECULUM III.**<br><br>16. D. Zephyrinus Roman. *M.* 18.<br>17. D. Caliſtus I. Roman. *M.* 5.<br>18. D. Urbanus I. Roman. *M.* 6.<br>19. D. Pontianus Rom. *M.* 4.<br>20. D. Antherus Græcus *M.* 1.<br>21. D. Fabianus Rom. *M.* 15.<br>22. D. Cornelius Roman. Nob. *M.* 2.<br>23. D. Lucius Rom. *M.* 1.<br>24. D. Stephanus I. Rom. *M.* 3.<br>25. D. Sixtus II. Athenienſis *M.* 1.<br>26. D. Dionyſius Græcus *M.* 11.<br>27. D. Felix I. Rom. *M.* 2.<br>28. D. Eutychianus Thuscus *M.* 8.<br>29. D. Cajus Dalmata Philippo & Diocletiano ſanguinis propinquitate conjunctus *M.* 12.<br>30. D. Marcellinus *M.* 8. | D. Caliſtus Blandinam & Privatum ambos ſanguine illuſtres, ſed corpore infirmos Baptiſmatis fonte reſtituit ſanitati; paulò pòſt *Perſecutionem VI.* ſuſtinens.<br><br>D. Fabianus in Pontificem electus in arduis negotiis avem cæleſtem columbæ ſimillimam habuit ſibi præſentem.<br><br>D. Cornelius ob inſignem in adverſis conſtantiam & virtutes alias ab hæreticis laudatus ſub Decio pertulit *Perſecutionem VII.*<br><br>D. Lucius à D. Cypriano Carthaginis Epiſ. multis ornatus encomiis ſub Valeriano Imp. in *Perſecutione VIII.* capite eſt plexus.<br><br>D. Stephanus ab ipſis Donatiſtis hæret. permagni habitus, & à D. Auguſtiſto multis honoratus laudibus Lucillæ Tribuniplebis filiæ lumen oculorum reſtituit, à Valeriano Marti litare juſſus ſuis precibus fulgura & tonitrua è cœlo impetravit, quibus concuſſum cecidit idoli delubrum. Similia his paträrunt DD. Felix, Eutychianus, Cajus & Marcellin. ſuſtinentes *Perſecutionem IX. & X.* | D. Caliſtus Palmatium Conſulem & Simplicium Senatorem Rom. raris prodigiis ad Romanas aras convertit, emiſſos contra ſe milites oculorum uſu privans & dæmones compeſcens: impetravit etiam ab Alexandro Imp. aream geminam, ſupra quam publicas extruxit ædes divino cultui dedicatas.<br><br>D. Urbanus S. Valerianum S. Cæciliæ ſponſum hujúsque fratrem Tiburtium & Maximum magnô Eccleſiæ bonô Chriſtianis annumeravit.<br><br>D. Fabianus Gordianis & Philippis Imp. perchârus, curavit multas diverſis in locis erigi ædes ſacras & baſilicas, præcipuè verò in cæmeteriis Martyrum: eos ipſe etiam Presbyteros & Diaconos à D. Anacleto in certis limitibus diſpoſitos dixit *Regionarios*, quòd ſingulis eorum duæ regiones fuerint datæ, ut iis curandis, ſervandis & promovendis quavis data occaſione invigilarent. | D. Zephyrinus ligneos calices ab aris removens, vitreos admiſit. Confeſſionem & Communionem Paſchalem præceptô novô confirmavit.<br><br>D. Caliſtus quatuor anni temporibus Sacerdotes initiari præcepit, cùm hactenus menſe Decembri ſolùm ſacer Ordo fuiſſet impertitus.<br><br>D. Urbanus argenteas lampades & calices aureos, ſi reditus ſuppeterent, in templis requiſivit.<br><br>D. Pontianus Davidicos Pſalmos à fidelium cœtù cantari, & Miſſæ Sacrificio publicam confeſſionem verbô *Confiteor &c.* à Sacerdotibus præmitti mandavit.<br><br>D. Fabianus feriâ 5. ante Paſchatis Diem Chriſma novum ab Epiſcopis confici imperavit.<br><br>D. Eutychianus Manichæis obicem poſiturus carnes animalium, fruges, uvas, herbas &c. in aris reponi, & Sacerdotes ſuper eas Eccleſiæ preces dicere juſſit. |

| Ponrifices Religioſorũ Ordinum, ac Cœtuum &c. Confirmatores. | Pontifices Literarum & Literatorum magni Æſtimatores. | Pontifices Pſeudo-Pontificum & Schiſmaticorum Victores. | Pontifices Hæreticorum intra & extra Concilia Oecum. Condemnatores. |
|---|---|---|---|
| D. Lucius in domibus privatis & cœtibus Sacerdotum publicis omnem procul abeſſe ſexum fœmineum curavit, vix Sacerdotum matri aut ſorori concedens locum.<br>D. Paulum Anachoretarum plurimorum authorem & hujus diſcipulos laudârunt D. Stephanus, Sixtus II. & præſertim D. Dionyſius Pontifex, qui ex monaſterio Romano in Pontificis Solium evectus, monaſticam vivendi methodum & verbis & factis probavit. | D. Zephyrinus præcepit Epiſcopis, ut non alios, niſi ſpectatæ virtutis & doctrinæ Viros in Sacerdotum admitterent numerum.<br>D. Pontianus doctrinæ & virtutum ſtudiô Philoſophos Platonicos ob concordiam Philoſophiæ Platonicæ cum Evangelica veritate ad Chriſti ſcholam tranſire docuit. Inter eosdem eminuerunt duo quondam Origenis diſcipuli germani fratres DD. Gregorius Thavmaturgus & Athenodorus uterque Epiſcopus doctrinâ maximè conſpicuus.<br>D. Sixtus II. ex Athenienſi Philoſopho diſcipulus & denique Magiſter Chriſtianus in Hiſpania primùm doctrinæ ſuæ ſementem ſparſit, numerans inter Diſcipulos D. Laurentium & Vincentium Diaconos. | D. Zephyrinus Pſeudo-Epiſcopos nonnullos ſedes ſuas Romano Solio æquales, aut etiam ſuperiores dicere non veritos rejecit, literis ſuis hunc præfigens titulum: *Zephyrinus Pontifex Maximus & Epiſcoporum Epiſcopus.* Hoc Zephyrini exemplum ſecuti ſunt paſſim Pontifices deinceps.<br>D. Cornelius Novatianum Stoicum ex Africa Romam translatum, & ſupremam ſibi dignitatem deberi multis modis contendentem, in Concilio Romano condemnavit; qua in Synodo Cornelii ſententiæ mox ſubſcripſerunt nomina Epiſcopi ſexaginta & tot Presbyteri. | Zephyrinus Marcioniſtas, 1. Proclum & Tertullianum cum ſociis hæreticis ab aris removit, eò quòd inter errores alios docerent *Matrimonium eſſe contractum diſſolubilem; ad ſecundas verò tranſire nuptias idem haberi ac fornicari.* 2. Origenis & ſociorum hæreſin, *qua* 1. *Filium DEI Adoptivum duntaxat eſſe,* 2. *animas ante generationem humanam creari,* 3. *pœnas inferni fine terminare &c.* pertinaciter docebant, Pontifices hujus & ſequentis ſeculi condemnârunt.<br>D. Sixtus II. Sabellianos diſtinctionem in Divinis negantes, & hæreticos, *Apoſtolicos* dictos, Latriæ cultum Angelis tribuentes anathemate confixit.<br>D. Eutychianus Manichæos DEum bonum & malum, animas item bonas & malas creatas aſſerentes, matrimonium damnantes, transmigrationem animarum admittentes anathemate notavit. |

| Pontificum Nomen, Patria, plurium Stemma, Anni Sedis. | Pontifices Virtutibus & quibusdam Miraculis clariores. | Pontifices ab Augmento Eccesiæ dato notiores. | Pontifices Rituũ Eccleſiæ, dierum Feſtorum & Canonizationis Promotores. |
|---|---|---|---|
| **SECULUM IV.**<br>31. D. Marcellus Rom. *M.* 5.<br>32. D. Euſebius Græcus. 2.<br>33. D. Melchiades Afer. 2.<br>34. D. Sylveſter Rom. 21.<br>35. D. Marcus Rom. m. 8.<br>36. D. Julius I. Rom. 15.<br>37. D. Felix II. &<br>38. D. Liberius Rom. 15.<br>39. D. Damaſus I. Hiſpan. 17.<br>40. D. Siricius Rom. 13.<br>41. D. Anaſtaſius I. Rom. 4. | D. Marcellus à Maxentio Tyranno ad equorum cryptas condemnatus, inter agaſones, dum fuit loco infimo, perſeveravit eſſe in loco virtutum ſupremo.<br>D. Sylveſter ex ſanctis parentibus natus filius ſanctior, virtutibus & ſignis præſente Conſtantino M. confutavit Taurum pertinaciſſimum Hebræorum, quem etiam ob hoc facinus ab ipſismet Hebræis trucidatum, vivis reſtituit.<br>D. Julius ſub Conſtantio Tyranno *Perſecutionem XI.* perferens, D. Athanaſij ſymbolum toti Eccleſiæ, inſuper habito quovis tormentorum terrore, commendavit, contemptô pariter Conciliabulô, in Thracia Conſtantij operâ coacto.<br>D. Damaſus ob inſignes virtutes, & quibusvis collata commoda ingentia, ab Africæ Epiſcopis *Pater Patriæ* jam dictus eſt, futurus primùm Pontifex.<br>D. Felix & Liberius ſub Conſtantino & Juliano Apoſtata *Perſecutionem XII.* ſuperârunt. | D. Marcellus in urbe quinque parochias erexit, quibus viginti quinque diverſos eôsque Sacros præeſſe juſſit miniſtros: hujus etiã Pontificis hortatu Lucina eximiæ probitatis vidua Romana bonorum ſuorum hæredem ſcripſit Eccleſiam, penates ſuos in ædem convertens ſacram, quam *D. Marcelli templũ* poſteri dixerunt.<br>D. Melchiades poſt victum Maxentium à Conſtantino M. Plautij Laterani, Romæ viri Patritij à Nerone Fidei causâ occiſi penatibus donatus, omnem movit lapidem, ut Eccleſia indies augmentum ſumeret.<br>D. Sylveſter Conſtantinô M. Romæ baptizatô, Eccleſiæ incrementum dedit omni ex parte maximum, quod plurimùm auxit *Concilium Nicænum I.* etiam Conſtantini M. adjutoriô potentiſſimô ſuffultum.<br>D. Marcus inſignes Baſilicas Romæ erexit, quas unà cũ alijs plurimis Conſtantinus M. donis pretioſiſſimis exornavit.<br>Damaſus adjutore Theodoſio M. Synodum Conſtantinopolitanam I. celebravit. | D. Euſebius præcepit, ut Sacerdos Sacrum faciens conſecratam hoſtiam in *Sindone linea, pura & candida* reponeret.<br>D. Melchiades ſancivit, ut candelabra minimùm duo ſupra aram poſita ardentes tenerent faces litante Sacerdote.<br>D. Sylveſter Chriſma à ſolo Epiſcopo confici, confecto autem Chriſmate frontes baptizatorum à Sacerdote obliniri voluit.<br>D Marcus mandavit, ut à Sacerdote Sacris operante ſubjungeretur finitis Evangelij verbis Nicæni Concilij ſymbolum maximè adverſus Arium.<br>D. Damaſus Pſalmos Davidicos in choro alternis vocibus cantari præcepit, Pſalmis ſingulis addens hanc clauſulam: *Gloria Patri & Filio &c.*<br>D. Anaſtaſius Chriſtianum ſtare juſſit populum, cùm Evangelium Sacerdos ad aram faciens legeret. |

| Pontifices Religioſorũ Ordinum, ac Cœtuum &c. Confirmatores. | Pontifices Literarum & Literatorum magni Æſtimatores. | Pontifices Pſeudo-Pontificum & Schiſmaticorum Victores. | Pontifices Hæreticorum intra & extra Concilia Oecum. Condemnatores. |
|---|---|---|---|
| Pontifices Romani duos præcipuè hoc ſeculo Ordines laudârunt & confirmarunt, nimirum Anachoretarum & Cœnobitarum, quales inchoârunt D. Antonius M. in Armenia, Scythia, Nitria & utraque Thebaide: D. Pachom. in Ægypto: D. Hilarius in Palæſtina: DD. Baſilius & Athanaſius in Græcia: imò monaſteria jam floruiſſe per Italiam, Galliam &c. teſtantur DD. Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus & Severus Sulpitius.<br><br>Ordinem Equitum S. Lazari jam inchoatum eſſe hoc præſenti ſeculo, teſtis eſt Pius IV. Pontifex in Bulla inſtaurationis, ſeculo XVI. editâ. | D. Sylveſter inter Doctores ſui ſeculi primos jure numerari eſt meritus, teſtibus ipſis D. Helena, Conſtantino M. Imperatore, Alexandro Patriarcha Alexandrino, Marino Arelatenſi Archi-Epiſcopo, ad quos omnes miſit epiſtolas inſigni doctrina refertas.<br><br>Liberius inter viros eruditos adeò eminuit, ut ob hoc etiam à DD. Ambroſio, Baſilio & Athanaſio fuerit celebratus.<br><br>D. Damaſus communicatis cum D. Hieronymo frequenter ſtudiorum conſilijs eundem D. Doctorem animavit ad ſacra Biblia ex idomate Græco in Latinum trasferenda, ut Sacerdotes maximè proficerent in addiſcendis & docendis Scripturis ſacris. Conſcripſit idem Damaſus varios libros Theologicos & geſta Pontificum trium primorum ſeculorum. | Schiſma inter Liberium & D. Felicem quondam Romæ Archidiaconum authore vel adjutore Conſtantino Imperat. excitatum terminavit uterque, Liberius nimirum & Felix, uterque ſucceſſu temporis factus Conſtantii adverſarius conſtantiſſimus.<br><br>D. Damaſus Urſicinum Romanum Diaconum per centum & triginta ſeptem occiſorum hominum funera in Solium Pontificis eluctantem, tandem operâ Valentiniani II. Imp. feliciter ſuperavit: ſchiſma etiam confutavit adverſus Romanos Pontifices excitatum à Lucifero Epiſcopo Calaritano, qui cum ſociis pertinaciter negabat, Epiſcopos in ſcelera vel hæreſes lapſos, & denuo converſos, priſtino dignitatis gradui poſſe reſtitui. | D. Melchiades Majoranum & Donatum, *Spiritum S. minorem Filio, Filium minorem Patre* docentes ex Eccleſiæ gremio ejecit.<br><br>D. Julius conciliabulum Conſtantii Imp. in Thracia coactum condemnavit: in Synodo Romana & Sardicenſi Arium cum ſocijs proſcripſit.<br><br>D. Siricius in Concil. Rom. rejecit Jovinianum cum aſſeclis, quibus præ virginitate matrimonium adeò placuit, ut *Deiparam poſt natum Chriſtum Virginem permanſiſſe* pertinaciter negârint.<br><br>D. Damaſus anathemate confixit Apollinariſtas & Antidicomarianos *Deiparam Virginem perpetuam* negantes: item Collyridianos &c. *Deiparam Latriæ cultu* colentes: ad hæc Priſcillianiſtas *Deum bonum & malum* ſtatuentes, & denique Macedonium *Spiritui ſancto* Divinitatem negantem.<br><br>D. Anaſtaſius denuo damnavit Origeniſtas, Jovinian. & Seleuc. |

| Pontificum Nomen, Patria, plurium Stemma, Anni Sedis. | Pontifices Virtutibus & quibusdam Miraculis clariores. | Ponrifices ab Augmento Eccleſiæ dato notiores. | Pontifices Rituũ Eccleſiæ, dierum Feſtorum & Canonizationis Promotores. |
|---|---|---|---|
| SECULUM V.<br><br>42. D. Innocentius I. Albanus. 15.<br>43. D. Zoſimus Græcus. 1.<br>44. D. Bonifacius I. Rom. 5.<br>45. D. Cæleſtinus I. Rom. 8.<br>46. D. Sixtus III. Rom. 8.<br>47. D. Leo I. Rom. 20.<br>48. D. Hilarius Sardus. 5.<br>49. D. Simplicius Tiburt. 15.<br>50. D. Felix III. Rom. 9.<br>51. D. Gelaſius I. Afer. 4.<br>52. Anaſtaſius II. Rom. 2. | D. Innocentius I. à DD. Hieronymo & Chryſoſtomo maximi factus, conſtantiam ſuam in rebus adverſis teſtatus eſt univerſis contra Eudoxiam Imperatricem & Theophilum Alexandriæ Pſeudo-Epiſcopum Chryſoſtomi adverſarium.<br>D. Cæleſtinus I. inter graviſſimas Eccleſiæ turbas conſeneſcens, Deiparæ honores ad extremum usque ſpiritum defendit.<br>D. Sixtus III. ab Anicio Cons. Rom. de carnali ſacrilegio infamatus, Conciliô Romæ convocatô ventilari cauſam hanc continuò juſſit *Pontifex virgineus*, qualem unanimi ſententia dixerunt 57. Epiſcopi.<br>D. Leo ab omnibus bonis, quin & malis virtutem in hoſte æſtimantibus *Magni* nomine appellatus, à ſexcentis & pluribus Patribus Chalcedone congregatis hunc in modum eſt honoratus: *Leo ſanctiſſimus, Apoſtolicus & Oecumenicus Patriarcha per multos annos vivat &c.*<br>D. Felix III. Tarſillæ nepti ſuæ D. Gregorii M. amitæ poſt obitum ſuum lucidiſſimis circumdatus radiis apparuit, relinquens argumentum vitæ & mortis ſuæ optimè tranſactæ. | D. D. Bonifacius I. & Cæleſtinus I. à Theodoſio II. Imp. auxiliis firmati *Concilio Epheſi Oecum.* congregatô, mores diſcolorum Sacerdotum &c. ſeverè caſtigârunt, quibus operam ſuam addixerunt SS. Auguſtinus, Germanus, Lupus & alij Patres multi.<br>D. Leo *Concilij Chalcedonenſis inter Oecumenica IV.* Præſes, Martiano Imp. Pontifex acceptiſſimus, quin Attilæ etiam Hunnorum & Genſerico Vandalorum Regibus neutiquam ingratus Romanam Eccleſiam inter tumultus publicos conſervavit & promovit.<br>D. Simplicius Eccleſiæ incrementum dedit Comprecationibus fidelium publicis, quas longa procedentium ſerie per urbem compita, aliàs verò per vicos, agros &c. primùm in Italia & Gallia, dein verò orbe Chriſtiano univerſo inſtituerunt Eccleſiæ.<br>D. Gelaſius S. Synaxin etiam Laicis ſub ſpecie gemina impertiri præcepit, ut factô contrario hæreticos vinceret Manichæos. | D. Innocentius I. Donatiſtas oſculô pacis in Eccleſiæ gremiũ recipiens hunc oſculi morem in officiis ad aram ſolennioribus obſervari ſuaſit. Præceptum etiam reliquit, quo feriâ 5. in Cœna Dom. conſecratas hoſtias pro Sacerdote & infirmis ſervari mandavit.<br>D. Zoſimus etiam in parœciis minoribus *Cerei paſchalis lumen* requiſivit. Clericis aditum in popinas interdixit.<br>D. Bonif. è Clericorum cœtu excluſit ſervos & ære alieno preſſos.<br>D. Cæleſtinus Salutationi Angelicæ addit verba: *Sancta Maria Mater DEI &c.* quæ Concil. Chalcedonenſ. denuo confirmavit.<br>D. Leo SS. Miſſæ Sacrificio has addidit voces: *Orate fratres &c. Hanc igitur oblationem &c. ſanctiſſimum Sacrificium, Immaculatam hoſtiam &c. Ite Miſſa eſt.*<br>D. Hilarius è numero Sacerdotum excluſit eos, qui unquam duxerunt viduam.<br>D. Simplicius Eccleſiaſticorum proventuum partem Epiſcopo, partem alteram Fabricæ, tertiam pauperibus, ultimam denique Clericis ſuo officio fungentibus deberi declaravit. |

| Pontifices Religioſorũ Ordinum, ac Cœtuum &c. Confirmatores. | Pontifices Literarum & Literatorum magni Æſtimatores. | Pontifices Pſeudo-Pontificum & Schiſmaticorum Victores. | Pontifices Hæreticorum intra & extra Concilia Oecum. Condemnatores. |
| --- | --- | --- | --- |
| D. Leo M. ex multorum ſententia Canonicorum Regularium & Cœnobitarum Regulas à D. Hipponenſium Præſule conſcriptas confirmavit.<br><br>D. Gelaſius eandem vivendi methodum ab Auguſtino utrisque adaptatam, plurimis commendavit: unde pluribus ad Inſtitutum hoc, ùt vocant, obſervandum convolantibus tyronibus, conceſſit Lateranenſe Monaſterium.<br><br>Joannem Caſſianum congregatos Monachos erudientem, & S. Alexandrum Studitharum Religioſorum Virorum, ſeu Acæmitharum vel authorem vel promotorem ſingularem, laudârunt Innocentius I. & Leo M. aliíque Pontifices. | D. Innocentius Trithemij & aliorum teſtimoniô Theologus contra hæreticos quosvis potentiſſimus, ſcientiæ ſuæ teſtes reliquit libros adverſus Pelagium, Bonoſiacum &c. inſcriptos.<br><br>D. Sixtum III. Card. Bellarminus & Scriptores alij numerant inter Authores librorum Eccleſiaſticorum.<br><br>D. Leonem alij *Demoſthenem*, alij *ſacræ eloquentiæ Tullium*, alij *Petrum in Sede Pontificia*, alij demum *Leonem undique M.* dixerunt.<br><br>D. Gelaſius Magni Doctoris Auguſtini diſcipulus in Collegio præſertim Lateranenſi promovit literas, ſcriptis ad Imperatores & Viros Principes epiſtolis, & libris de vinculo anathematis, nec non contra Pelagianos editis, inclytus & celebris. Scripſit inſuper hymnos ad imitationem S. Ambroſij. | D. Bonifacius I. Eulalium R. E. Archidiaconum Pontificios honores ambientem, Honorii Imp. auxiliô ex urbe ejecit.<br><br>D. Sixtus Joannem Antiochiæ Patriarcham cum S. Cyrillo Alexandriæ Antiſtite vinculô amicitiæ conjunxit, obicem ponens damnis gravibus ex ſchiſmate oriri ſolitis.<br><br>D. Simplicius Anatolium Conſtantinopolis Patriarcham non ſolùm Epiſcoporum ſubditorum, ſed & ſupremi Præſulis Sedem deſpicientem refutavit.<br><br>D. Gelaſius Anaſtaſium Or. Imp. Eccleſiæ Rom. Primatui unà cum aliis Epiſcopis reluctantem anathemate confixit in Concilio Romano, in quo declaratum eſt, locum I. deberi Sedi Romanæ, locum II. Alexandrinæ, locum III. Antioch. &c. Item inter Synodos Oecumenicas venire loc. I. Nicænam. II. Conſtantinopolitan. III. Epheſ. IV. Chalcedonenſem. | D. Innocentius I. Pelagium cum ſociis Cæleſtio & Juliano *divinorum auxiliorum* hoſtibus privavit communione fidelium.<br><br>D. Cæleſtinus & 200. Epiſcopi in Concilio Epheſino condemnârunt Neſtorium *B. V. DEI Matrem* dicere renuentem.<br><br>D. Leo M. Eutychen, Dioſcorum & Neſtorium *unam tantùm in Verbo Divino Naturam* aſſerentes in Concil. Chalcedonenſi hæreticos pronunciavit.<br><br>D. Felix III. Enoticon Zenonis Imp. conſtantiſſimè rejecit, probè gnarus, Romanam Eccleſiam nulla ratione obnoxiam eſſe compoſitione tali, quali vel Viri Principes pacem componere, vel mercatores de merce & pretio tranſigere ſolent. |



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

| Pontificum Nomen, Patria, plurium Stemma, Anni Sedis. | Pontifices Virtutibus & quibusdam Miraculis clariores. | Pontifices ab Augmento Eccleſiæ dato notiores. | Pontifices Rituũ Eccleſiæ, dierum Feſtorum & Canonizationis Promotores. |
|---|---|---|---|
| **SECULUM VI.**<br>53. D. Symmachus Sardus. 15.<br>54. D. Hormisda Campan. Ital. 9.<br>55. D. Joannes I. Hetruſ. 2.<br>56. D. Felix IV. Benevent. 4.<br>57. D. Bonifacius II. Rom. 1.<br>58. D. Joannes II. Rom. 4.<br>59. D. Agapetus I. Rom. 1.<br>60. D. Sylverius Rom. 4.<br>61. D. Vigilius Rom. 15.<br>62. Pelagius I. Rom. 4.<br>63. Joannes III. Rom. 13.<br>64. Benedictus I. Rom. 4.<br>65. Pelagius II. Rom. 2.<br>66. D. Gregorius M. I. Rom. Nob. 13. | D. Symmachus Anaſtaſium Imp. epiſtolâ Apoſtolicæ authoritatis plenâ officij ſui admonuit; Theodorici Gothorum in Italia Reg. edicta Immunitati Eccleſiaſticæ contraria ſpretô capitis periculô nullius eſſe valoris declaravit; Thraſamundo in Africa, Alarico II. in Hiſpania Regibus fortiſſimè reſtitit, ut Arium nunquam non impugnaret.<br>D. Joannes II. Conſtantinopolim Româ profectus gemino in via claruit miraculô; præſente enim Juſtino Imp. ſola manuum impoſitione cæco viſum reddidit: equus etiam ab illuſtri fæmina Joanni in via commodatus, ſupra ſe nunquam deinceps admiſit ſexum fæm.<br>D. Agapetus teſte D. Gregorio M. hominem mutum & claudum ſacrô priùs epulô refectum Crucis ſignô docuit bene loqui & ritè ambulare.<br>D. Gregorium M. S. Ildephonſus his paucis lineis probè depinxit: *Gregorius M. ſuperavit ſanctitate Antonium, eloquentiâ Cyprianum, & ſcientiâ Auguſtinum; quare mortem ejus meritò luxit Orthodoxus orbis univerſus.* | DD. Symmachi & Hormisdæ vigilantiâ commotus Juſtinus Imp. Legatos à Sum. Pontifice petiit, ut in Oriente lux nova oriretur Eccleſiæ, & pax diu deſiderata rediret fructu per Orientis Imperium magno. Eodem tempore Hormisdam recreavit lætus de Cludovæi Francorum Regis converſione nuntius, cui Regi DD. Remigium & Alcimum miſit Apoſtolos ampliſſimis privilegiis munitos.<br>D. Hormisda quoque Hiſpanis & Luſitanis Joannem Taraconenſem & Saluſtium Hiſpalenſem Epiſcopos miſit.<br>D. Agapetus *Synodum Conſtantinopolitanam inter Oecumenicas V.* præcipuè adverſus Severum Antiochiæ Epiſcopũ Theodoræ Imp. operâ ſuffultum celebravit.<br>Pelagius II. Leandri Hiſpalenſis & aliorum ſociorum zeloſiſſimorum operâ Gothorum Regem Reccaredum &c. ad orthodoxa Sacra convertit, licèt priùs in Hiſpaniæ Regno Suevi Theodomirum, Mironem, Eboricum & Andecam jam Reges Orthodoxos venerati ſint. | Pelagius II. Eccleſiæ cantum cæpit exornare; Præfationes enim, ut vocat Eccleſia, complures componi vel curavit, vel jam compoſitas S. Canoni præmitti imperavit.<br>Vigilius diem Purificationi B. V. ſacum inſtituit.<br>Pelagius II. Clericis & Monachis à Choro abſentibus privatam horarum Canonicarum recitationem injunxit.<br>D. Gregorius M. aſperſionem ſacrorum cinerum ſuper caput prima verni jejunij luce adhiberi ſuaſit: ceremonias circa ſepulturam mortuorum & Sacra pro iisdem dicenda ordinavit: Cantum item Eccleſiaſticum & Ritus ſacros magna ex parte emendavit. |

### Pontifices Religioſorũ Ordinum, ac Cœtuum &c. Confirmatores.

Joan. III. Monaſterium Sueſſione in Gallia à Clotario Rege in honorem Dei Genitricis erectum multis privilegijs munivit.

D. Benedictus ex eremo ſua denique regreſſus, ſolis inſtar univerſo propemodum orbi apparuit; confirmata & omnibus bonis probatâ regulâ dimiſit Viros Zelô Apoſtolicô inflammatos in varia Regna.

D. Gregorius M. à S. Benedicto conſcriptam, à Deo dictatam, à D. Hormisda aliísque Pontificibus jam laudatam vivendi methodum plurimùm promovit, Patriarchæ hujus Sanctiſſimi filijs duodecim monaſteria extruendô, D. Benedicti regulâ procul dubio & ipſe ad tantum virtutis apicem evectus.

### Pontifices Literarum & Literatorum magni Æſtimatores.

Quamvìs nullus non hoc etiam ſeculo Pontifex laudem à doctrina ſua ſit meritus, præ alijs tamen excelluerunt DD. Symmachus & Hormisda, de quibus teſtimonium dicunt libri in lucem editi.

D. Agapetus ut doctrinam ſacram Romæ redderet celebriorem, Theologiæ ſcholas publicas aperiri juſſit, inter Romanos Pontifices primus, qui ſtipendia Doctoribus ſolvit.

D. Gregorius M. omni literarum genere inſtructiſſimus, ſcripſit librorum ſat amplum catalogum, inter Eccleſiæ Rom. Doctores primo numerari loco meritus: proprii calami teſtimonio Monaſteriorum Æſtimator maximus cum virtutibus literas conjungi verbîs, exemplis, & præceptîs curavit.

### Pontifices Pſeudo-Pontificum & Schiſmaticorum Victores.

D. Symmachus Cœlium Laurentium Presbyterum Card. Romanos faſces magnopere ambientem, auxiliô Theodorici Regis Ariani poſt multas cædes & rapinas à Laurentio & ſociis patratas devicit.

D. Bonifacius mortis aut divinæ veriùs Providentiæ beneficium agnovit, dum Dioſcorum Card. Sedi Pontificiæ inſidiantem, ſubitaneo correptum morbô vidit extingui.

D. Sylverius à Theodora Imperatrice in exilium ejectus, convocatô ad ſe exulum Epiſcoporum Conciliô, Vigilium cum aſſeclis condemnavit, parem ſententiam ferens adverſus Theodoram: ſcripſit ad hæc ad Amatorem Epiſcopum his verbis: *Suſtentor pane tribulationis & aquâ anguſtiæ, nec tamen dimiſi, aut dimitto officium meum.*

### Pontifices Hæreticorum intra & extra Concilia Oecum. Condemnatores.

D. Bonifacius Eutychianos inſtar lolii ſuccreſcentes, condemnatos denuò urbe expulit.

Joannes II. Acæmerarios Conſtantinopoli *in aſſerenda Chriſti natura paſſibili* contrarios ſibi cenſuris perſtrinxit.

Vigilius primò Pſeudo-Pontifex, ſed D. Sylverij morte, & miraculis converſus trium Epiſcoporum Theodori Mopsveſteni, Ibæ Edeſſeni, & Theodoreti Cyri tria, ùt vocârunt Capitula, non penitus condemnavit, tametſi penitus à Juſtiniano Imp. condemnata eſſe non ignorâret. Denique tamen non immeritò damnationis ſententiâ proſcripſit. Pontifices hujus ſeculi publicârunt & condemnârunt Severianos, Jacobitas, *Monaſteriorum, Sacerdotum & Sacramentorum hoſtes*; item Schematicos, Barſanianos, Chriſtolitas &c. in Sanctos, Sanctorum Imagines & Chriſtum ipſum ſævientes.

| Pontificum Nomen, Patria, plurium Stemma, Anni Sedis. | Pontifices Virtutibus & quibusdam Miraculis clariores. | Pontifices ab Augmento Eccleſiæ dato notiores. | Pontifices Rituũ Eccleſiæ, dierum Feſtorum & Canonizationis Promotores. |
|---|---|---|---|
| **SECULUM VII.**<br>67. Sabinianus Thuſcus. m. 5.<br>68. Bonifacius III. m. 8.<br>69. D. Bonifacius IV. 6.<br>70. DEusdedit I. Rom. 3.<br>71. Bonifacius V. Neapolitan. 7.<br>72. Honorius I. Camp. Ital. 12.<br>73. Severinus Rom. 1.<br>74. Joannes IV. Dalmata. 1.<br>75. Theodorus I. Hieroſolymitanus. 7.<br>76. D. Martinus I. Tudertinus. 5.<br>77. D. Eugenius I. Rom. m. 6.<br>78. D. Vitalianus Neapolitanus. 13.<br>79. Deusdedit II. Rom. 7.<br>80. Donus ſeu Domnus I. Rom. 1.<br>81. D. Agatho I. Siculus. 5.<br>82. D. Leo II. Siculus m. 10.<br>83. D. Benedictus II. Rom. m. 8.<br>84. Joannes V. Syrus. 1.<br>85. Conon Thrax m. 11.<br>86. D. Sergius I. Syrus. 13. | DEusdedit I. hominem morbô elephantiacô affectum oris oſculô repentè ſanavit.<br>Theodorus I. *Perſecutionem XV.* parem ferè Neronianæ ſub Conſtante Imp. perpeſſus, trophæa Martyribus erexit, Pontifex trophæo ſimili digniſſimus.<br>D. Martinus I. nocte nato Servatori Deo Sacra, à Conſtante Imp. gladiô conducti ſicarii impetitus, à Superis eſt ſervatus, obrigeſcente continuò manu militis, qui eodem momento oculorum uſu quoque eſt orbatus.<br>D. Eugenius magnis laudibus eſt honoratus, quòd fuerit miræ patientiæ, religionis, manſuetudinis, munificentiæ &c.<br>D. Agatho I. ob editorum miraculorum multitudinem *Thaumaturgi* nomine eſt ornatus.<br>D. Benedictus II. à Conſtantino V. ob eximias virtutes maximi habitus, ejusdem Conſtantini filios, rogante Auguſto Genitore virtute & doctrinâ erudiit.<br>D. Sergius Zachariam Ducem à Juſtiniano II. Imp. cum exercitu miſſum, ut Pontifici vim inferret, adverſus cives Romanos Zachariæ fortiter reſiſtentes adeò defendit ſuum inimicum, ut in extremas anguſtias redactum & fugitivum ſub ſtrato Pontificio abſconderit. | D. Bonifacius IV. templum Pantheon in ædem ſacram convertit OO. SS. honoribus conſecratam; unde initium ſuum duxit dies OO. SS. feſtus.<br>Bonifacius V. Eduardum Anglorum Regem per Viros Apoſtolicos in Angliam miſſos, Orthodoxa docuit dogmata.<br>Honorius I. Herculii Imp. de Coſroe Perſarum Rege triumphantis, & S. Crucem inter multa miracula Hieroſolymam reducentis victoriâ probè utendum ratus, turbatam in Oriente Eccleſiam emendavit.<br>Deusdedit II. Imperatori Conſtantino V. pacis vinculô conjunctus, illata ab Imperatoribus Conſtantinô prioribus Eccleſiæ damna reſarcivit.<br>Domnus Conſtantini etiam amicitiam ambire doctus, Monothelitarum molitiones eluſit.<br>D. Agatho à Conſtantino V. facilè impetravit decretum, quo ſe nihil in vendicanda ſibi Pontificis confirmatione acturum recepit, exemplô Succeſſoribus relicto.<br>D. Sergius incrementum dedit præclarum Eccleſiæ, dum Batavis, Saxonibus & Friſonibus miſit novos in vineam Domini operarios. | Sabinianus lumen nunquam facilè extinguendum ſacris in ædibus requiſivit, ut erga DEum Euchariſticum in hominum animis perpetuum amorem accenderet: præcepit inſuper, ut Monachi, nec minùs Clerici campanæ ſonitu convocarentur ad Pſalmos Davidicos ſtatutis horis cantandos.<br>D. Bonifacius IV. Monachis privilegium fideli populo ſuis in ædibus miniſtrandi Sacramenta conceſſit.<br>Honorius I. poſt relatam ab Heraclio Imp. è Perſide S. Crucem, *diem Exaltationis S. Crucis* toti Eccleſiæ promulgavit.<br>D. Vitalianus harmoniæ Muſicorum in ſacris ædibus organi ſonum ſuperaddidiſſe fertur.<br>D. Sergius *ter agnus Dei &c.* in Miſſæ Sacrificio à Sacerdotibus alta voce pronuntiari voluit, ut populus fidelis memor eſſet Remiſſionis omnium culparum à Chriſto Agno Patientiſſimo factæ. |

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

### Pontifices Religioſorũ Ordinum, ac Cœtuum &c. Confirmatores.

Quamvìs hoc ſeculo nullus legatur Virorum Religioſorum ſtatus recens confirmatus à Rom. Pont. D. Benedicti tamen regula ubivis terrarum præſertim in Europa ita plurimis fuit probata, ut etiam purpurâ & coronis Regijs decorata Capita relictis ſceptris nomen ſuum huic regulæ ſubſcripſerint: Viri verò & fœminæ Principes alij S. Benedicti honoribus dedicanda Monaſteria &c. erexerint, quæ Rom. Pontifices ampliſſimìs privilegiîs identidem ampliùs ornârunt & confirmârunt. Inter purpurâ inſignes Monaſticam vitam amplexi ſunt S. Sigebertus Auſtraſiæ Rex; S. Joſæus Regis Britonum filius; S. Fiacrius Scotorum Regis filius; Bamba Hiſpaniæ Rex &c.

### Pontifices Literarum & Literatorum magni Æſtimatores.

D. Martinus I. inter doctiſſimos ſui temporis Viros numeratus, ſcripſit varias epiſtolas eo virtutis & doctrinæ ſpiritu, ut *absque pijs lachrymis legi non poſſint* teſte Ciaconio.

S. Leonem II. vocat Trithemius *Virum in divinis & ſecularibus ſcripturis eruditiſſimum Græcâ & Latinâ linguâ copiosè inſtructum, ſubtilem, eloquentem, & non minùs ſanctum quàm doctum.* Inter alia, Concilij Conſtantinopolitani *III.* Acta, Græco idiomate ſcripta, ipſe in Latinum tranſtulit.

D. Agatho Pont. literis inſtructiſſimus in Concilio Romano vehementer doluit Virorum ſuo tempore doctorum paucitatem.

D. Sergius I. ab Antonio Poſſevino & Jodoco Coccio inter Scriptores Eccleſiaſticos numeratur.

### Pontifices Pſeudo-Pontificum & Schiſmaticorum Victores.

Honorius I. Schiſma Iſtrianum annis 70. continuum ſuſtulit, Fortunato Patriarcha ob ſchiſma & hæreſin depoſito. Ob ſuppetias hanc in rem à Venetis Pontifici miſſas, Reſpublica Veneta *Chriſtianiſſimæ* nomine fuit inſignita.

Deusdedit II. Ravennæ duos Archi-Epiſcopos Maurum & Reparatum ab aris removit, quòd ſuos Clericos Pontificis Juriſdictioni ſubijcere renuerent.

D. Leo II. Conſtantini V. operâ in ordinem redegit Ravennatenſium Antiſtites, qui Exarchorum potentiâ freti, parvi pendebant Romanam Curiam, ut ſuam pluris facerent, præſertim in eligendis & confirmandis Epiſcopis novis.

D. Sergius Paſchalem Romæ Archidiaconum Pontificiæ dignitatis æmulatorem ambitioſiſſimum Monaſterij clauſtris incluſit, tenebris, quàm luci magìs idoneum.

### Pontifices Hæreticorum intra & extra Concilia Oecum. Condemnatores.

Severinus *Ecthesin* ſeu Fidei explanationem Heraclij in Monothelitarum hæreſin lapſi damnavit, damnandam cum eadem hæreſi mox à Succeſſore Joanne IV.

D. Martinus in centum & quinque Epiſcoporum Synodo Romæ rejecit *Typum*, ſeu Fidei formulam à Conſtante Imperatore datam, à Paulo autem Conſtantinopolis Epiſcopo Monothelita dictatam.

Domnus Monothelitarum hæreſin ferè totam extirpavit.

Deusdedit II. Neſtorij Sectatores jam crebrò condemnatos Româ expulit.

D. Agatho in Concilio Laterano, & mox Conſtantinopolitano Oecumenico Monothelitarum placita penitus abolere feliciter ſtuduit. Macariô Antiochiæ Patriarcha turpiſſimarum fraudum & mendaciorum publicè convictô.

**Pontificum Nomen, Patria, plurium Stemma, Anni Sedis.**

## SECULUM VIII.

87. Joannes *VI.* Græcus. 3.
88. Joannes *VII.* Calaber. 2.
89. Siſinnius Syrus. dieb. 20.
90. Conſtantinus Syrus. 6.
91. D. Gregorius *II.* Rom. 16.
92. D. Gregorius *III.* Syrus. 10.
93. D. Zacharias Calaber. 10.
94. Stephanus *II.* Rom. dieb. 4.
95. Stephanus *III.* Rom. 5.
96. D. Paulus *I.* Rom. 10.
97. Stephanus *IV.* Siculus. 3.
98. Hadrianus *I.* Rom. Nobiliſſ. 23
99. D. Leo *III.* Rom. 20.

**Pontifices Virtutibus & quibusdam Miraculis clariores.**

Joannes VI. humanitate & manſuetudine Giſulphum Beneventanum Ducem ita permovit, ut armatum exercitum ex territorio Romano reduxerit, & idem territorium Pontifici reſtituerit.

Joannes VII. Juſtiniano II. Imp. per duos Epiſcopos miſſos enixè roganti, ut Canones in Conciliabulo Conſtantinopolitano collectos probaret, nihil conceſſit contemptîs quibusvis periculis.

Conſtantinus erroneam Fidei formulam à Felice Ravennæ Archi-Epiſcopo ſibi oblatam, dum aræ impoſuit, ſubitanea nigredine mutatam vidit.

D. Gregorius II. D. Gregorio M. ob geſtorum & virtutum præſtantiâ comparatur.

Stephanum III. ipſimet hæretici *egregiæ pietatis & prudentiæ Virum, nec non viduarum & pupillorum Defenſorem* nuncupârunt.

D. Paulus I. captivorum & ægrotantium caſas auxilij causâ viſitavit crebrò, vix uno alteróve famulo comitante. In *Perſecutione XVI.* ſub Copronymo plura quàm decem Chriſtianorum millia numeravit occiſa.

Hadrianus I. centum pauperes diebus ſingulis ſuo in palatio pavit. Carolus M. teſte Eginhardo, Pontifici huic ſibi chariſſimo epitaphium ſcripſit virtutum multarum compendium, ſimúlque Regiîs lachrymis eidem parentavit.

**Pontifices ab Augmento Eccleſiæ dato notiores.**

Conſtantinus à Juſtiniano II. Imp. humaniſſimè ſuſceptus, Orientalem Eccleſiam haud una tantum ex parte reſtituit.

D. Gregorius II. amicitiâ Luitprandi Longobardorum Regis & Caroli Matelli in Francia Ducis animatus, Leoni Iſaurico SS. Imaginum hoſti fortiſſimè reſtitit: miſsô etiam in Germaniam D. Bonifacio erectis Monaſteriîs & paræciis gentilium ſuperſtitiones eradicavit.

S. Gregorius III. ob deſtinatos à ſe Germanis Viros Zelô Apoſtolicô ardentiſſimos, vocatus eſt *Germanorum Apoſtolus*.

D. Zacharias Luitprando Longobardorum Regi acceptiſſimus, Pipinum Francorum Regem confirmavit; ipſi etiam Copronymo Imp. vim amicam faciens, Eccleſiam Rom. adverſus Iconomachos &c. conſtanter defendit.

Stephanus III. Pipini Francor. Regis auxiliô exarchatū Ravennatenſem Pontificiæ denuo fecit ditionis, aperiens in eadem Provincia campum peramplum reparandæ Fidei.

Hadrianus I. operâ Caroli M. Italiam Longobardis purgat; Germaniam, Galliam &c. multis Diœceſibus auget. In Oriente Conſtantini VI. & Irenes Matris auxiliîs potens, *Nicænam Synodum II. inter Oecumenicas VIII. celebrat, in qua reſtitutus SS. Imaginibus cultus.*

**Pontifices Rituū Eccleſiæ, dierum Feſtorum & Canonizationis Promotores.**

D. Gregorius II. Clericorum & Monachorū in Germania mores & Ritus Eccleſiæ emendavit antiqua Eccleſiæ ſacra reſtaurans, abactis etiam è Clericorum domibus fœminis. Diem quoque Sabbathi tempore verni jejunij inter dies eſuriales non numerantibus Germanis multis fortiter obſtitit, præceptum Eccleſiæ antiquum objiciens.

D. Zacharias obortam inter DD. Bonifacium & Virgilium de Baptiſmi formula à Germano Sacerdote perperā pronuntiata diſputationem ſententiâ Pontificiâ decidit.

D. Leo III. omnium Pontificum 1. Germaniam petens, Baderbornæ præſente Carolo M. & 365. Epiſcopis templum ibidem aulicum Ritu Romano conſecravit; Verdæ autem Suitbertum Epiſcopum in Sanctorum numerum adſcripſit, ubi Canonizatio omnium *prima ſolennis* eſt adhibita.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

### Pontifices Religioſorū Ordinum, ac Cœtuum &c. Confirmatores.

Zacharias Carolomannum Pipini Francorum Regis fratrem D. Benedicti filijs aggregatum, veſte Sacerdotali ornavit; Rachi verò Italiæ Regi, ut Carolomanni veſtigia ſequereretur, ſuaſit atque perſuaſit: acceptis eodem tempore nuntijs, exempla talia in Anglia ab Ethelredo, Cheuredo & Offa, ſimúlque in Northumbria ab Egeberto & Cleofulo Regibus monſtrari, hanc ob cauſam D. Benedicti regulam amplioribus privilegijs honoravit.

Stephanus IV. Copronymo Monachorum & Monaſteriorum hoſti acerrimo fortiſſimè reſiſtens, templa & Monaſteria paſſim multa extrui curavit & extructa confirmavit.

### Pontifices Literarum & Literatorum magni Æſtimatores.

D. Gregorius *II.* propter hauſtam librorum notitiam à D. Sergio I. Bibliothecæ Pontificiæ præeſſe juſſus, dein verò cum Conſtantino Pont. Conſtantinopolim ad Juſtinianum *II.* Imp. profectus pro re Catholica dixit & ſcripſit fructu doctrinæ maximo. In Germania Fidei Romanæ Rudimenta & literas Germanas ſimul & Latinas exponendas D. Bonifacio & ſocijs multis commendavit.

D. Gregorium *III.* S. Scripturæ adeò peritum fuiſſe tradunt, ut Pſalterium Davidis memoriâ penitus comprehenſum audientibus reddere valuerit.

D. Zacharias doctrinâ ſuâ huic ſeculo commendatiſſimus, literas Monaſterij maximè commendavit: D. Gregorij M. Dialogos ipſe ex Latino idiomate in Græcum tranſpoſuit.

### Pontifices Pſeudo-Pontificum & Schiſmaticorum Victores.

Theophilactus Archidiaconus Rom. dignitatem Pontificiam ambiens, repellitur à Stephano III. aut potiùs ab hujus Electoribus Pontificijs.

Stephanus IV. Conſtantinum licèt Laicum, Pontificiæ tamen Sedis invaſorem, Deſiderij Longobardorum Regis auxiliô fretum, in Monaſterium abire compulit, ut diſceret ab inſano propoſito deſiſtere.

D. Leo *III.* à Paſchali Primicerio Rom. & Campulo Sacellano Hadriani *I.* nepotibus, Dignitatis ſupremæ avidiſſimis, in proceſſione, uti vocamus, publica tanta vi eſt occupatus, ut exanimatum ferè Pontificem Monaſterio S. Eraſmi incluſerint; eadem tamen nocte à plagis curatum, & valetudini priſtinæ divinitus reſtitutum.

### Pontifices Hæreticorum intra & extra Concilia Oecum. Condemnatores.

Philippicus Imp. unam duntaxat in Chriſto naturam aſſerens, cultum ſimul SS. Imaginum cum Conciliabulo ſuo impugnans, à Conſtantino I. Pontifice condemnatus, à populo autem Conſtantinopolitano eſt rejectus.

D. Gregorius II. Leonem Iſaur. tam in Occidente, quàm in Oriente edictum ſuum contra SS. Imagines ſpargentem refutavit, & condemnavit: Gregorio ſuam operam addixerunt miraculis etiam comprobatam D. Germanus Conſtantinopoli, & D. Damaſcenus in Syria.

Stephanus III. coactum à Copronymo conciliabulum & errores contra Sanctos & SS. Imagines rejecit.

DD. Gregorius III. & Zacharias anathema dixerunt Adalberto Gallo & Clementi Scoto, huic SS. Patrum, illi SS. Reliquiarum hoſti.

Hadrianus I. & D. Leo anathemate confixerunt Albanenſes, ante Chriſti natales 1. *Nullum fuiſſe hominem juſtum.* 2. *Mundum nunquam cœpiſſe* docentes &c.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

| Pontificum Nomen, Patria, plurium Stemma, Anni Sedis. | Pontifices Virtutibus & quibusdam Miraculis clariores. | Pontifices ab Augmento Eccleſiæ dato notiores. | Pontifices Rituſi Eccleſiæ, dierum Feſtorum & Canonizationis Promotores. |
| --- | --- | --- | --- |
| **SECULUM IX.**<br><br>100. Stephanus V. Rom. 7.<br>101. D. Paſchalis I. Rom. 7.<br>102. Eugenius II. Rom. 3.<br>103. Valentinus Rom. m. 1.<br>104. Gregorius IV. Rom. 16.<br>105. Sergius II. Rom. 3.<br>106. D. Leo IV. Rom. Illuſtriſſ. 8.<br>107. Benedictus III. Rom. 2.<br>108. D. Nicolaus *M.* I. Rom. 9.<br>109. Hadrianus II. Rom. 4.<br>110. Joannes VIII. Rom. 10.<br>111. Marinus I. Gallus. 1.<br>112. Hadrianus III. Rom. 1.<br>113. Stephanus VI. Rom. 6.<br>114. Formoſus Rom. 5.<br>115. Stephanus VII. Rom. 4.<br>116. Romanus I. Rom. m. 4.<br>117. Theodorus II. Rom. d. 20. | Eugenius II. SS. Imaginum contra Mich. Balbum Orient. Imperatorem providus defenſor, *pupillorum* etiam *Pater & viduarum tutor* paſſim eſt nominatus.<br><br>D. Leo IV. Euchariſtiæ Sacramentô militibus contra Saracenos pugnaturis impertitô, bis hoſtes navali prœliô ſuperavit: Crucis etiam ſignô incendium Romæ triſtiſſimum extinxit, ſimúlque baſiliſcum peſtiferum, præſente copioſiſſimo populo, die Aſſumptæ in cœlos Virgini ſacra ſuis precibûs abegit.<br><br>D. Nicolaus M. à multis *alter Elias*, ab alijs *Phinees novus*, ab omnibus demum multìs laudatus encomiîs *Magni* nomen eſt adeptus.<br><br>Hadriani II. in pauperes liberalitatem Superi ſunt viſi commendâſſe miraculis, è quorum numero erat illud, dũ Miniſter Pontificius quadraginta denarios in pauperes elargiri juſſus ingentem multitunem ita iisdem donavit, ut pauperum ſinguli tribus donati argenteis, liberalitatem Hadriani ad cœlos laudibus extulerint. | Stephanus V. à ſeditioſis Romæ civibus in Galliam abire compulſus, dum in campis Rhemenſibus à Ludovico Imp. excipitur, campum invenit Reipublicæ Chriſtianæ potentiſſimum.<br><br>D. Paſchalis jura & bona prioribus jam ſeculis Eccleſiæ aſſerta, à Ludovico Cæſ. confirmari magìs, lætatur.<br><br>Gregorius IV. D. Benedicti regulîs à puero probè informatus, Viros regulâ, doctrinâ & virtutibûs ſibi pares, in Daniam, Sueciam, aliáſque Septentrioni proximiores miſit Regiones, ut Fidei lumine tenebras ignorantiæ diſpellerent.<br><br>Benedictus III. ex Lotharij Imp. Monaſterium Pramienſe ingreſſu, ingentem collegit Eccleſiæ fructum: cum Ludovico Lotharij filio vires junxit, ut Eccleſiæ & Imperio ampliùs prodeſſent; cum Michaele etiam Or. Imp. rebus Eccleſiaſticis incrementum reſtituit. | Eugenius II. præcepit, *ne ad Electionẽ Rom. Pont. quiſpiam deinceps accederet, niſi illi, qui ex antiqua conſuetudine &c. jus eligendi Pontificem haberent; qui ſecus facerent, Pontificis ac Cæſaris gratiâ exciderent, exilióque damnarentur.*<br><br>Gregorius IV. feſtam OO. SS. hucem Romæ hactenus tantùm celebratam, ubivis terrarum deinceps celebrandam inſtituit.<br><br>Joanni VIII. palmarum benedictionem adſcribunt nonnulli: alij verò æquiori jure priorum ſeculorum Pontificibus tribuunt.<br><br>Benedictus III. funera Virorum Eccleſiaſticorum honoraturus magìs ſuaſit, ut Pontifices unà cum Epiſcopis, Presbyteris &c. deductioni Cardinalium funebri ad tumulum usque adeſſe non gravarentur. |

### Pontifices Religioſorũ Ordinum, ac Cœtuum &c. Confirmatores.

Quamvìs hoc IX. ſeculo ferè nemo Religioſum erexiſſe Ordinem legatur, Romani tamen Pontifices plerique ex Monaſteriis in Purpuratorum Patrum cœtum, aut ad Infulas evocati, & inde in Solium Pontificium promoti, non magìs verbô, quam factìs ſtabiliverunt Religioſam vivendi methodum, ipſius Imp. Lotharij &c. exemplô illuſtratam.

Ordo Equitum S. Andreæ in Scotia fundatur à Rege Achajo, poſtquam Anglos memorabili pugnâ & victoria fugavit.

### Pontifices Literarum & Literatorum magni Æſtimatores.

Gregorius IV. ob eruditionem ſuam & doctrinam permagni æſtimatus eſt & laudatus à Rabano Mauro Archiepiſcopo doctiſſimo, item ab authoribus Adamo Bremenſi, Alberto Kranzio, Baronio &c.

D. Nicolaum M. adhuc puerum cùm virorũ quispiam fixo notâſſet oculô, parentem ejus enixè rogavit, curaret filium S. Scripturæ lectione &c. erudiri, addens, fore, ut eâdem ſummopere indigeat. Vatem hunc virum fuiſſe teſtantur Scriptores multi, à quibus omnibus ejus temporis Doctoribus præfertur, & D. Gregorio M. comparatur.

Hadrianus II. illuſtravit ſeculum epiſtolìs copioſis ad Imperatorem & Reges datis, item librô ſuô, quem *Formam ſanctarum Legum* vocârunt.

### Pontifices Pſeudo-Pontificum & Schiſmaticorum Victores.

Eugenio II. cum copijs ſuccurrit Lotharius I. contra Zinzinum Card. quem ſeditioſi multi oppoſuerunt Pontifici.

D. Nicolaus M. S. Ignatium Conſtantinopolis Patriarcham adverſus Photium, diuturni ſchiſmatis Latinos inter & Græcos authorem conſtanter defendit; quem nihilominus Joannes VIII. Pont. ſuadente Baſilio Imp. in eam ſedem admiſit, poſtquam agnitum ſuum mox errorem è ſummo Vaticani loco palam deteſtatus fuit.

Stephanus VI. Leonis V. Imp. amicitia potentior, Photium & Santabarenum amovit, hunc oculìs orbatum & flagellìs cæſum; illum verò Monaſterio incluſum.

Formoſus Antipapam Sergium adeò ſibi expertus eſt infenſum, ut ille Pontificis inſignia ad aram ſtantis vi ſibi arripuerit.

### Pontifices Hæreticorum intra & extra Concilia Oecum. Condemnatores.

Gregorius IV. contra Theophilum Orient. Imperat. in Sanctorum Imagines ſævientem, non abſque miraculo anathematis ſententiam pronuntiavit.

Parem ſententiam tulit Benedictus III. in Anaſtaſium Card. Gallos in Italiam evocantem, & D. Petri templum ſpoliantem.

Pontifices hujus ſeculi damnârunt 1. Godeſchalcum Belgam, qui docuit *dari Prædeſtinationem à Catholicis rejectam*; item *Chriſtum pro iis tantùm eſſe mortuum, qui ſalvantur.*

2. Claudium Epiſcopum Taurinenſem *Neſtorianum.*

3. Græcos aſſerentes 1. *Spiritum non procedere ex Patre & Filio.* 2. *Non eſſe jejunandum in Sabbatho &c.*

Propter plures errores proſcripſerunt Pontifices Photium.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

| Pontificum Nomen, Patria, plurium Stemma, Anni Sedis. | Pontifices Virtutibus & quibusdam Miraculis clariores. | Pontifices ab Augmento Eccleſiæ dato notiores. | Pontifices Rituũ Eccleſiæ, dierum Feſtorum & Canonizationis Promotores. |
|---|---|---|---|
| SECULUM X.<br>118. Joannes *IX.* Tiburtin. 3.<br>119. Benedictus *IV.* Rom. 2.<br>120. Leo *V.* Ardeatin. d. 40.<br>121. Sergius *III.* Rom. 3.<br>122. Anaſtaſius *III.* Rom. 2.<br>123. Landus Sibinus m. 6.<br>124. Joannes *X.* Rom. 16.<br>125. Leo *VI.* Rom. m. 6.<br>126. Stephanus *VIII.* Rom. 1.<br>127. Joannes *XI.* Rom. 4.<br>128. Leo *VII.* Rom. 3.<br>129. Stephanus *IX.* Germ. 3.<br>130. Marinus *II.* Rom. 3.<br>131. Agapetus *II.* Rom. 9.<br>132. Joannes *XII.* Thuſcus. 9.<br>133. Benedictus V. Rom. 1.<br>134. Joannes *XIII.* Rom. 6.<br>135. Domnus *II.* Rom. m. 3.<br>136. Benedictus *VI.* Rom. 1.<br>137. Benedictus *VII.* Rom. 9.<br>138. Joannes *XIV.* Papienſ. 1.<br>139. Joannes *XV.* Rom. 10.<br>140. Gregorius *V.* Saxo. 2. | Leo VI. à Victorello ob pacem Eccleſiæ redditam ita eſt laudatus, ut majori virtutum encomio ſe dignum reddere vix potuerit inter turbatiſſima tempora.<br>Marinus II. Principes Chriſtianos ad pacem dandam & conſervandam animavit maximopere; unde nomen *Pacifici Papæ* eſt conſecutus. Tametſi præter memoratos alij hoc ſeculo non defuerint Pontifices Rom. omnibus encomiîs digniſſimi, e. g. Benedictus IV. Leo V. Anaſtaſius III. Leo VII. Stephanus VIII. & IX. Benedictus VII. Joannes XV. & Gregorius V. nihilominus Sergius III. Landus, Joannes X. XI. & XII. obſcurum aliàs jam ſeculum hoc tantò ampliùs obſcurârunt, ut horum poſteriorum vitia vituperijs ampliorem, quàm priorum Pontificum virtutes laudibus dederint locum, apud eos præſertim rerum æſtimatores, qui potiùs multiplicandis alienis vitijs, quàm augendis ſuis virtutibus invigilant. | Stephanus VIII. Spitneum Bohemiæ Ducem ad Romana perduxit ſacra.<br>Joannes XIII. Joan. Capuan. Ducem, col ati auxilij causâ, Capuæ creavit Archiepiſcopum, omnium Archiepiſcoporum primũ in inferiore Italia, in qua tamen nunc numerantur 22. Pontifex hic ab Ottone II. ſevero Italorum vindice, bona à Berengario Pſeudocæſ. Eccleſiæ erepta, recepit. Coronam deinde Imperij Auguſto aſſertori ſuo impoſuit, implens feſtivis acclamationibus Italiam ſimul & Germaniam. Acceptis etiam de Micislai Polonor. Ducis converſione literis, in Polon. miſit Viros doctrina & virtute conſpicuos.<br>Haraldo Danor. Rege Romana dogmata probante, Benedictus VII. Daniæ Regnum, miſſis Epiſcopis &c. uberiùs inſtruxit; Ottone autem II. defuncto, ut bellis poneret obicem, mox Ottonem III. Cæſarem dici curavit.<br>Joan. XV. D. Adalbertum Bohemis & Hung. Chriſtianæ Fidei miſit Doctorem. | Anaſtaſius III. Epiſcopo Papienſi præter alia privilegia conceſſit & iſtud, ſedendi nimirum ſupra albicantem equum, & in Concilijs occupandi locum Pontifici proximum, ſiniſtrum tamen.<br>Joan. XIII. campanis, confectis Eccleſiæ precibus benedicere, & eas inſcriptionibus ſacris ornare cæpit.<br>Benedictus VII. ſodalitatem pro purgandis Defunctorum manibus inſtitutam laudavit.<br>Joan. XV. SS. Miſſæ Canonem, ùt vocamus, alta voce recitari vetuit. Hugonem Capetum Franciæ Regem ex aſſe Catholicum *Eccleſiæ Defenſorem & Status reſtauratorem* cognominavit. |

## Pontifices Religioſorũ Ordinum, ac Cœtuum &c. Confirmatores.

Leo VII. Congregationem à Bernone primùm, dein verò à S. Odone Abbatibus Cluniaci partim inſtitutam, partim amplificatam, ſub Regula D. Benedicti confirmavit, quam temporis ſucceſſu ingreſſi ſunt non pauci divitiîs, ſanguine, ſceptris & coronis Viri ornatiſſimi.

Benedictus VII. regulam Camaldulenſium à S. Romualdo conſcriptam, & fructu per Europam maximo, jam tum promotam commendavit.

Relictis ſeculi curîs vitam monaſticam elegerunt Fortunius Navarræ, Alphonſus Legionis, Conſtantius III. Scotorum, Hugo Italor. Reges; item Urſus, Petrus Urſeolus, Vitalis Candianus & Memmus Venetorum Principes.

## Pontifices Literarum & Literatorum magni Æſtimatores.

Leo VII. inter arma & tumultus hujus ſeculi perpetuos Muſis ſilentibus, ex Cluniacenſi Monaſterio Romam evocavit cum ſocijs Doctoribus Odonem Abbatem fama ſanctitatis, eruditionis & eloquentiæ laude celeberrimum.

Benedictus VII. nihil non egit, ut Statui Eccleſiaſtico literarum præſertim ſacrarum æſtimationem conciliaret: hanc ob cauſam de literis promovendis egit cum Ottone II. Cæſare, D. Romualdum laudavit, quòd ſuis in Diſcipulis virtutes præclarô cum doctrina vinculô conjungeret.

Quamvis hoc tempore inter pleroſque Clericos Pallas & Apollo fuerint muti: in Monaſterijs tamen Chorum literîs diſtinxerunt, quod abundè teſtantur authores & libri ex Monaſterijs poſteris relicti.

## Pontifices Pſeudo-Pontificum & Schiſmaticorum Victores.

Joannes IX. contra Sergium Pſeudo-Pontificem Ravennæ convocavit Concilium, in quo Stephani VII. acta ſunt reprobata, Formoſi verò rurſum confirmata.

Octavianus Alberici Tuſculani Comitis filius contra Agapetum II. & Ottonem I. dimicans, à Clericis Romanis denique admiſſus eſt in Sedem Pontificis, vocatus Joan. XII. verùm ſuperveniente Ottone ob coronatum Berengarium Pſeudo-Cæſarem Soliô Romanô eſt pulſus, & in idem Solium promotus Eccleſiæ Rom. Proto-Notarius Leo VIII. dictus.

Benedictus VI. ùt fides eſt, jugulatus fuit ab amicis Ferucij Card. qui bis Rom. Solium occupans, Bonifacij VII. nomen ſibi impoſuit.

Gregorius V. Placentinum Epiſcopum Joannis XVI. nomen uſurpantem removit.

## Pontifices Hæreticorum intra & extra Concilia Oecum. Condemnatores.

Etſi ſeculum hoc plurimis malis fuerit refertum; ab hæreſi tamen ferè totum fuit immune; non enim, niſi in fine Leviardus homo è plebe natus, in Gallia inter æquales hæreſin excitavit rudiſſimam, ſpargens, *uxores eſſe derelinquendas, Cruces & Crucifixi DEI Imagines pedibus eſſe calcandas, Decimas non eſſe cuiquam tribuendas.* Præcipitavit ſe tandem hic in puteum.

In Italia eodem tempore Vilgardus Grammaticus & Poeta dæmonum præſtigiis deceptus, videre ſibi viſus eſt Homerum, Virgilium, Horatium, Ovidium, Juvenalem &c. hoc ludibrio motus, dictis Poetarum tanquam Fdei articulis credendum eſſe docuit, gladiô tandem & igne ſublatus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

| Pontificum Nomen, Patria, plurium Stemma, Anni Sedis. | Pontifices Virtutibus & quibusdam Miraculis clariores. | Pontifices ab Augmento Eccleſiæ dato notiores. | Pontifices Rituũ Eccleſiæ, dierum Feſtorum & Canonizationis Promotores. |
| --- | --- | --- | --- |
| **SECULUM XI.**<br>141. Sylveſter *II.* Aquitan. 4<br>142. Joannes *XVI.* dict. *XVIII.* Rom. m. 5.<br>143. Joannes *XVII.* dict. *XIX.* Rom. 5.<br>144. Sergius *IV.* Rom. 2.<br>145. Benedictus *VIII.* Comes Thuſciæ. 12.<br>146. Joañes *XVIII.* dict. *XX.* Rom. 9.<br>147. Benedictus *IX.* Rom. 10.<br>148. Gregorius *VI.* Rom. 2.<br>149. Clemens *II.* Saxo. m. 9.<br>150. Damaſus *II.* Bavar. m. 1.<br>151. D. Leo *IX.* Alſata Comes de Tachsberg. 5.<br>152. Victor *II.* Suevus Comes de Calb. 2.<br>153. Stephanus *X.* Lotharingus è Regum Franc. ſtemate oriundus. m. 8.<br>154. Nicolaus *II.* Sabaudus. 2.<br>155. Alexander *II.* Mediol. 11.<br>156. Gregorius *VII.* Senenſ. 12.<br>157. Victor *III.* Beneventan. 1.<br>158. Urbanus. *II.* Nob. Gall. 11. | Sylveſter *II.* Arnulpho Rhemens. Eccl. Archiepiſcopo adverſario ſuo pertinaci, veniam indulſit plenam, confirmato eodem in ſuo munere, datô eidem libello contra quosvis obtrectatores.<br>Sergius *IV.* *Petri nominis* religione comotus, *Sergij* nomen aſſumpſit. Sergiũ hunc tantâ præditum innocentiâ fuiſſe teſtatur, ut nihil pæna aut etiã pœnitentiâ dignũ tota ejusdẽ ætate fuerit notatũ.<br>D. Leo IX. adhuc parvulus, miraculô ab interitu ſervatus, dum Pontifex per Germaniã tranſiit, à Dynaſtis duobus è ſtemate Schwarzenburgico natis, ædem à ſe extructam ut conſecraret rogatus, extensâ dexterâ eidem domui eminus benedixit, dynaſtis verò petentibus, ut cominus ceremonias perageret, reſpondit: *ite, & niſi luſtratæ ædis ſigna expreſſa deprehenderitis, reverſi me revocate.* Viderunt ipſi & invenerunt. Baſileenſis Diæceſis ſimilia aut majora his beneficia à Leone IX. ſibi conceſſa memorat. Damiani nobis ſufficiant verba: *Fuit Leo IX. moribûs Angelus, factis Apoſtolus, converſatione Sanctus, miraculis Vir prodigioſus.*<br>Victor II. adversùs Subdiaconum ſuum Pontificis vitæ inſidiantem, geminô ſervatus prodigiô, conſervavit ſuis precibus hominem vitâ vix dignum.<br>Gregorius VII. in vita & poſt mortem claruit miraculis, teſtibus omni exceptione majoribus. | Sylveſter *II.* Stephano Hungarorum Regi *Crucem Regibus Hungariæ deinceps muneris Apoſtolici inſigne* miſit.<br>Joan. *XVII.* Roberti verè Chriſtianiſſimi Regis adminiculô tutus, Conciliis in Francia celebratis, rem Catholicam per Occidentis Regna curavit præclarè: quin Latinã & Græcam Eccleſiam denuo unionis vinculô conjunxiſſe ſcribitur. Bambergenſibus Epiſcopum, Magdeburgicis verò Archiepiſcopum, annitente D. Henrico conceſſit. DD. Brunonem & Bonifacium alterum miſit ad Pruſſiæ populos Chriſtiana Fide imbuendos.<br>Joan. *XVIII.* cum Conrado *II.* Imp. Canuto Anglorum, & Rudolpho Burgundorum Regibus, Romæ ſimul præſentibus, multa in Rempublicam Chriſtianã utiliſſima tranſegit.<br>D. Leo *IX.* octo Concilia minora per Italiam, Germaniam & Galliam celebravit, quibus in utilitatem Eccleſiæ Græcæ & Latinæ laboravit.<br>Gregorius *VII.* præceptũ Eccleſiæ Clericis matrimonia interdicens, ſeriò & ſeverè inculcavit, tollendis multis inconvenientiis remedium ſaluberrimum. Reluctantes præcepto ab officiis remoti ſunt Epiſcopi Bremenſis, Salisburgenſis, Spirenſis, Argentoratenſis &c. | Sergius *IV.* per ſuos legatos Pont. & 30. Epiſcopos præſertim Germanos ædis Bambergenſis dedicationem ſolenniſſimam, & mox Synodum Germanicam celebravit.<br>Benedictus *VIII.* denuo decrevit, ut in feſtis majoribus finitîs Evangelij verbîs Romanæ Fidei ſymbolum à Sacerdotibus ſubjungeretur.<br>Benedictus *VIII.* Bambergæ templum alterum conſecravit, D. Stephani honoribus dedicatum.<br>D. Leo IX. litem de D. Dionyſij reliquijs inter Pariſios & Ratisbonam agitatam dirimens, pro parte ultima decidit; Ratisbonæ pariter in Divorum album referens Wolfgangum & Erhardum.<br>Urbanus II. in Concil. Placent. preces in honorem M. Virginis compoſitas cum præfatione die Sabbathi dici ſolita, confirmavit. S. Crucis ſignum priùs jam uſitatiſſimum, militum veſtimentis, vexillis &c. inſeri juſſit. |

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

### Pontifices Religioſorū Ordinum, ac Cœtuum &c. Confirmatores.

Ordo Clericorum, quos CanonicosRegulares vocamus, ab Alexandro II. confirmatur denuo, confirmatus jam V. ſeculo.

Gregorius VII. Grandimontenſium in Gallia regulam ratam habuit.

Carthuſianorum vivendi methodum authore D. Brunone in Gallia inchoatam, maximi duxit Urbanus *II.* & Succeſſores Pontifices multi.

Antonianos in Noſocomiis morbô decumbentibus inſervientes, laudavit pariter Urbanus *II.* Hujus etiam Pontificis authoritate per Galliam & alia Europæ Regna cœperunt florere CiſtercienſiumMonaſteria, authore Roberto Moliſmenſi Abbate Fundatore.

Monaſticam vitam ſuo in Monaſteria ingreſſu illuſtrârunt hoc ſeculo Michael Stratonicus, Iſacius, & Comnenus Orientis Cæſares &c.

### Pontifices Literarum & Literatorum magni Æſtimatores.

Sylveſter II. ante Pontificatū Gerbertus nuncupatus, ob exquiſitā ſuam doctrinam Hugoni Gallorum Regi, dein Ottoni *III.* Imp. gratiſſimus, demum à ſacris Electoribus Pontifex dictus eſt.

D. Leo IX. inter doctiſſimos ſui ſeculi viros numeratus, ſcripſit homilias, ſermones & epiſtolas his etiam doctiſſimis ſeculis æſtimatas.

Gregoris VII. doctrinâ ſuo ævo nemine inferior, inter turbas Eccleſiæ & Imperii maximas dum egit omnia, nihil ob anguſtias temporis & curarum molem, præter epiſtolas plurimas in lucem edere potuit, quibus tamen evicit plurima, plurium Conciliorum Pontificis nomine Præſes & Pontificius Legatus perpetuus. Pontifex creatus factis ſuis multorum probatiſſimorum & improborum libros implevit.

### Pontifices Pſeudo-Pontificum & Schiſmaticorum Victores.

Benedictus VIII. Gregorium Antipapam amoturus in ſuppetias vocavit D.Henricum Cæſarem.

Benedictus IX. Epiſcopum Sabinenſem *Sylveſtrum III.* appellatum potentia Comit. Tuſculanorum ſuperavit, vix ipſe dignus gloriâ Pontificia.

Gregorius VI. dum difficillimum ſchiſma inter Benedictum, Sylveſtrum & Joañem ſuſtulit, ab Imperatore Henrico III. oppoſitum ſibi Clementem II. veneratus eſt Pontificem, Electoribus Pontificiis cū Gregorio vim & mala majora vitantibus.

Nicolaus II. in Concil. Sutrienſi ſententiam tulit contra Tuſciæ Comites, Joannem Epiſcopum Veltrenſem, dictum *Benedictum X.* in PontificisThronum extollentes.

Alexander II. Pallavicinum Parmens. Epiſ. *Honor. II.* appellatum in Concilio Mantuano rejecit.

Gregorius VII. Guibertum Raven. Epiſc.*Clement. III.* vocatum, & Henrici IV. Imp. armis ſuffultum conſtantiſſimè repulit.

### Pontifices Hæreticorum intra & extra Concilia Oecum. Condemnatores.

Sergius IV. Heribertum & Liroium hæreſiarchas *DEum unum & trinum &c.* blaſphemantes anathemate percuſſit.

Nicolaus II. Berengarium Turonenſem Archidiaconum in SS. Euchariſtia *Veram corporis & ſanguinis præſentiam* negantem in Concilijs condemnatum ſapere docuit.

Gregorius VII. anathemate fulminavit 1. Reordinatorum defenſores, qui Simoniacos ad Eccleſiam per pœnitentiam reverſos ſacris Ordinibus initiari denuo præcipiebant.

2. Cerularios Conſtantinopolitanos ex varijs hæreſibus coagulum formantes.

3. Simoniacos, quorum hæreſi venales paſſim fiebant Prælaturæ & beneficia quævis Eccleſiaſtica in Italia, Gallia & præcipuè in Germania, Henrico IV. Imp. Simoniacis omnem libertatem indulgente.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

| Pontificum Nomen, Patria, plurium Stemma, Anni Sedis. | Pontifices Virtutibus & quibusdam Miraculis clariores. | Pontifices ab Augmento Eccleſiæ dato notiores. | Pontifices Rituũ Eccleſiæ, dierum Feſtorum & Canonizationis Promotores. |
| --- | --- | --- | --- |
| SECULUM XII.<br>159. Paſchalis *II.* Thuſc. Nob. 18.<br>160. Gelaſius *II.* Campan. Ital. 1.<br>161. Caliſtus *II.* Nob. Burgund. 5.<br>162. Honorius *II.* Bononienſ. 5.<br>163. Innocentius *II.* Rom. ex Nobiliſſ. famil. de Matthæis. 13.<br>164. Cæleſtinus *II.* Hetruſcus. m. 5.<br>165. Lucius *II.* Bononienſ. Nob. m. 11.<br>166. Eugenius *III.* Piſan. Nob. 8.<br>167. Anaſtaſius *IV.* Nob. Rom. 1.<br>168. Hadrianus *IV.* Anglus. 4.<br>169. Alexander *III.* Tuſc. 22.<br>170. Lucius *III.* Lucenſis. 4.<br>171. Urbanus *III.* Mediolan. è Cribell. genere. 1.<br>172. Gregorius VIII. Benevent. m. 2.<br>173. Clemens III. Rom. 3.<br>174. Cæleſtinus III. Rom 6. | Paſchalis II. honores conſtanter fugiens, ex Alberto Allatrino Epiſcopo adhuc ferè juvenis intellexit conferendos ſibi honores Pontificios.<br>Honorius II. Pontificiam dignitatem adverſario ſuo, ſponte jam paratus cedere, ab omnibus eligitur denuo, & confirmatur Pontifex, DD. Norberti & Bernardi in virtutibus multis æmulus.<br>Anaſtaſius II. in caritate annonæ egenis liberaliſſimè ſubvenit, cui proin mortuo pauperes copioſiſſimis lachrymis parentârunt.<br>Gregorius VIII. ob raras animi dotes & virtutes præclaras miro omnium Electorum conſenſu lectus Pontifex, datis ad Viros Principes literis adeò commovit omnes, ut conſenſu unanimi expeditionem ſacram in Ægyptum adornârint; Cardinales verò complures pedibus iter Palæſtinam verſus aggreſſi ſint, & univerſa propemodum Eccleſia ad virtutem ſeriò incumbere ſibi propoſuerit.<br>Clemens III. diſſidium annis 50. graviſſimum Pontifices inter & Senatum Romanum, ad Reipublicæ methodum introducendã denuo propendentem, manſuetudine ſua ſingulari diſſipavit. | Caliſtus II. tribus Concilijs Viennæ, Toloſæ & Rhemis in Gallia celebratis addidit quartum, *Lateranenſe I. Oecumenicum*, in quibus actum de bello ſacro Palæſtinam verſus ſuſcipiendo; item de cauſa beneficiorum Eccleſiaſticorum, quorum *Collationem* datis Imperatorijs literis Pontificiæ Sedi jure deberi confeſſus eſt denique Henricus V. Imp. Pontifex verò D. Jacobo Archiatro ſuo gratũ ſe exhibiturus, Compoſtellæ Archi-Epiſcopum dedit, ſubijciens ejusdem curæ totam vicinam Provinciam.<br>Honorius II. miſſis in Germaniam Gerardo, in Galliam Matthæo, in Angliam Joanne Card. Legatis, Eccleſiæ prodeſſe ſummopere ſtuduit; Hyberniam per D. Malachiam Epiſcopum Conneretenſem reformavit; Cardinales quoque in Daniam, Sueciam, Bohemiam &c. magnô Eccleſiæ emolumentô legavit.<br>Innocentius *II.* unà cum Lothario *II.* Imp. æquitatis ſtudioſiſſimo, Eccleſiæ juribus proſpexit. *Conciliũ Lateranenſe II. Oecum.* gubernavit.<br>Alexan. III. mortuo Eugenio expeditionis ſacræ promotore ardentiſſimo celebravit *Concilium Lateran. III. Oecum.* | Innocentius II. in Concilio Piſano S. Hugonem Epiſcopum ſacris Ordinibus initiatutus, Eccleſiæ Ritus methodo ſolenniori obſervavit, obſervandos etiam alijs Epiſcopis.<br>Lugdunenſis Eccleſia diem Conceptæ ſine macula Virgini ſacram cæpit celebrare, ſalva tamen authoritate Sedis Romanæ.<br>Sunt, qui Ritus *Simplicis, Semiduplicis, Duplicis, Duplicis majoris &c.* in dicendis horis Canonicis & Miſſæ Sacrificijs ad finem hujus ſeculi meliùs eſſe diſpoſitos commemorant. |

### Pontifices Religioſorũ Ordinum, ac Cœtuum &c. Confirmatores.

Caliſtus II. Cœtus Religioſos authore D. Norberto congregatos, & à Monaſterij loco *Præmonſtratenſium* nomine appellatos, authoritate Pontificia ſtabilivit. Gelaſius & Caliſtus II. milites ab Hieroſolymitano templo *Templarios* cognominatos, Honorius verò II. Equites S. Joannis Hieroſolymitani, nunc *Melitenſes*, inter Ordines Religioſos conſtituit. His acceſſerunt Equites Calatraphæ, S. Jacobi & Alcantaræ omnes in Hiſpania: in Germania autem maximè Teutonici Mariani, quos Pontifices multîs privilegiîs donârunt.

Cæleſtinus II. D. Bernardi Regulam probavit, & Eccleſiæ univerſæ commendavit.

Ordo Trinitariorum & Sacerdotum Hoſpitaliorum, ut appellant, hoc ſeculo fuit inſtauratus.

### Pontifices Literarum & Literatorum magni Æſtimatores.

Cæleſtinus II. D. Bernardo literarum æſtimatione pene par, eundem D. Doctorem negotiis publicis iisque arduis in Curia Romana & Aulis Imperatorum ac Regum adhibuit Eccleſiæ & Imperij lucro permagno. Joannem etiam à Catricula Doctoris Clarevallenſis doctiſſimũ diſcipulum, doctrinæ cauſâ in Cardinalium Cœtum adlegit.

Lucius II. & Eugenius III. jura Eccleſiæ & Imperij cum Lothario II. Imp. ritè compoſituri, SS. Canones & Civiles Leges per idoneos viros examinari curârunt.

Hadrianus IV. ex pauperibus in Anglia parentibus natus, ſed ſcientiis excultus à Canonicis Gallis Antiſtes eligitur, ab Eugenio III. publicis muneribus præficitur & denique in Pontificis Sedem promovetur.

### Pontifices Pſeudo-Pontificum & Schiſmaticorum Victores.

Paſchalis II. Guibertum, *Clementem III.* dictum denique devicit 22. annorum Antipapam. Tres ſchiſmatici alij Albertus natione Neapolitanus, Theodoricus & Maginulphus Romani, luce publica privati finem impoſuerunt ſchiſmati.

Gelaſius II. Mauritium Barduinum ab Henrico V. Imp. intruſum Pſeudo-Pontificem impugnavit.

Honorius II. Theobaldum Card. à Clericorum parte oppoſitum ſibi æmulum virtute ſuperavit.

Innocentius II. adverſarios pertulit Petrum Leonis *Anacleti*, & Gregorium Card. *Victoris IV.* nomine appellatos.

Alexander III. Octavianum *Victorem V.* Guidonẽ Cremonenſem *Paſchalem IV.* & Joannem Hungarum *Calixtum III.* vocatos, ſucceſſu temporis expugnavit.

### Pontifices Hæreticorum intra & extra Concilia Oecum. Condemnatores.

Lucius II. Abailardum in Concilio Rhemenſi, ipſi S. Bernardo reſiſtere non veritum rejecit ob defenſos Pelagij & Neſtorij, ac ſuos etiam errores. Abailardus denique reſipuit.

Eugenius III. Arnaldum & ſocios Viris Principibus omnia tribuentes, Eccleſiæ verò negantes anathemate caſtigavit. Sententia par lata eſt contra Marſilium Paduanum Pontificis authoritati detrahentem; Item contra Baſilium Medicum veteres hæreſes probantem; Adhæc contra Gilbertum Porretanum Pictavij quondam Epiſcopum blasphemum. Nec non contra Hæreticos Albigenſes & Waldenſes, antiquiſſimis hæreſibus ſuas novas miſcentes & latiſſimè jam ſpargentes.

Honorius II. Tanchelium Antwerpiæ hæreticum, per D. Norbertum Magdeburgi Archi-Epiſcopum confutavit.

| Pontificum Nomen, Patria, plurium Stemma, Anni Sedis. | Pontifices Virtutibus & quibusdam Miraculis clariores. | Pontifices ab Augmento Eccleſiæ dato notiores. | Pontifices Rituũ Eccleſiæ, dierum Feſtorum & Canonizationis Promotores. |
| --- | --- | --- | --- |
| **SECULUM XIII.**<br>175. Innocentius III. Anagnin. Comes. 18.<br>176. Honorius III. Rom. è Sabellorum ſtem. nat. 10.<br>177. Gregorius IX. Anagninus Comes. 14.<br>178. Cæleſtinus IV. Nob. Mediolan. dieb. 18.<br>179. Innocentius IV. Lovaniæ Comes Genuens. 11.<br>180. Alexander IV. Anag. Com. 6.<br>181. Urban. IV. Sutoris filius Campan. Gall. 3.<br>182. Clem. IV. Narb. Nob. 3.<br>183. Greg. X. Placent. Com. 4.<br>184. Innoc. V. Burgund. m. 5.<br>185. Hadrianus V. Lov. Com. Genuens. m. 1.<br>186. Joannes XIX. dict. XXI. Luſitan. quondam Med. m. 8.<br>187. Nicol. III. Rom. ex Urſin. fam. 2.<br>188. Martin. II. Camp. Gall. 4.<br>189. Honor. IV. Rom. Nob. 2.<br>190. Nicol. IV. Aſculan. 4.<br>191. Cæleſtin. V. Neap. m. 5.<br>192. Bonif. VIII. Cajetan. 8. | Innocent. III. nulla non virtute præſtantiſſimus, Principibus ſibi adverſis conſtantia maximâ obſtitit, latâ in plures anathematis ſententiâ.<br>De Gregorio X. ita ſcripsêre: *quem virum eſſet producturus, in primævo ſuæ juventutis flore jam monſtravit, quia ex tunc ita virtutis inſigne in eo retinuit, ut morum normâ ſpeculum exiſteret quàm plurimis honeſtatis &c.*<br>Martinus II. bonorum Eccleſiaſticorum Adminiſtrator integerrimus, *conſanguineos ſe ſe mundo reliquiſſe* conſtanter non magis verbô, quàm opere affirmavit.<br>Nicolaus IV. ſupremum dignitatis gradum bis jam deprecatus, vice tertia repulſam dare non auſus, apertiſſimè tamen teſtatus eſt, *malle ſe infimo vel in culina manuum labore occupari, quàm tantîs curîs fatigari.*<br>Cæleſtinus V. auditâ Cardinalium, Pontificis renuntiationem *valere* aſſerentium ſententiâ, mox munere ſuo ſe abdicavit, relinquens abdicationis factæ formulam toti poſteritati teſtimonium. Tam principium, quàm finem Pontificatûs probavit cœlum; claudum enim in pedes erexit geminum. | Innocent. III. in Hiſpania Saracenos ſuaſit expugnari eo eventu, ut eorundem 400000. brevi tempore fuerint deleta. In Chriſtiana Regna benigniſſimus, Carolo Bulgarorum Duci Coronam Regiã miſit; Armenorum Regulo inſignia Regis donavit; Bohemis Regem præfici curavit; Aragonum Regi ipſe Coronam impoſuit; Hungarorum Regem per Strigonienſem Epiſ. coronavit. *Concilium Lat. IV. omnium Concil. maximum* celebravit.<br>Honor. III. ſub Frid. II. Imp. bellum ſacrum ardenter promovit; unde S. Crucis lignum ab Ægypti Sultano Eccleſiæ fuit reſtitutum.<br>Innocentius IV. *Concil. Lugdunenſe I.* celebravit, in cujus initio Cardinalibus rubri pilei uſum conceſſit his dictis: *ſævente Friderico II. eſſent memores amittendi ſanguinis pro Eccleſiæ bono.* Idem poſt Concil. Lugdunenſe cum D. Ludovico Francor. Rege diebus 7. continuis egit de bello ſacro promovendo.<br>Gregorius X. Concil. Lugdunenſe II. celebravit, cui interfuerunt Latini Græcíque Patres ultra mille. Cum Rudolpho Habſpurgico maximi momenti res compoſuit Lauſannæ. | Primis hujus ſeculi Pontificibus adſcribitur ſignũ campanâ dandum, dum Sacerdos elevat conſecratam Hoſtiam &c.<br>Innocentius *III.* Eccleſiæ commendavit Roſarij recitandi morem à. D. Dominico introductum.<br>Urbanus IV. ad bellum ſacrum promovendum feſtum Dominici Corporis toti Chriſtiano orbi cupiit eſſe ſoleñiſſimum, eum in finem D. Thomas Aquin. compoſuit Rhytmos Eccleſiæ hodiernæ ſuaviſſimos.<br>Gregor. IX. venerationi publicæ propoſuit DD. Dominicum, Franciſcum Seraphic. Antonium Patav. Virgilium Salisburgenſem Archiep. Eliſabetham Luſitaniæ Reginam. D. Claram verò Alexander IV. & D. Ludovicum IX. Bonifacius VIII. qui Jubilæum etiam celebravit, & ſingulis annorum centuriis celebrandi Eccleſiæ author fuit. |

### Pontifices Religioſorũ Ordinum, ac Cœtuum &c. Confirmatores.

Innocentii III. authoritate 4. RR. Ordines celeberrimi Rom. Eccleſiam per orbem univerſum conſervare & promovere cœperunt; primus eorum eſt à D. Dominico, alter à D. Franciſco, tertius à D. Euſebio Strigonienſi, nomine D. Pauli Eremitæ fundatus. Quartus denique à S. Trinitate nomen habet, authore Joanne de Matha.

Honorius III. monente Deipara D. Alberti Hieroſolom. inſtitutum, ùt vocant, in favorem Carmelitarum comprobavit. Honorius verò IV. novum veſtimenti genus eisdem conceſſit.

Gregorius IX. D. Petri Nolaſci Ordinem pro redimendis è Saracenorum poteſtate Hiſpanis firmavit. His acceſſerunt regulæ *Scholarium* S. Claræ, *Servitarum & Equitum Glorioſæ V. MARIÆ* dictorum.

Hoc ſeculo eligendis Relig. Cætibus interpoſuerunt magis ſuam authoritatem Pontifices ad cavenda mala.

### Pontifices Literarum & Literatorum magni Æſtimatores.

Innocent. III. Romæ, Pariſijs & Bononiæ literarum ſtudiîs exornatus, *Principum Chriſtianorum Moderator* eſt appellatus; ſcripſit libros varios duobus tomis comprehenſos.

Gregorius IX. S. Scripturæ & tam Pontificii quàm Cæſarei Juris raram notitiam ſibi comparavit; in lucem edidit Decretalium libros, & Decretum Gratiani emendatiùs reddidit, operâ uſus D. Raymundi de Pennafort.

Innocent. IV. ſcripſit Apparatum ſuper lib. Decretal. Item authenticas, & de Pontificis ſimúlque Imperatoris Juribus contra Petrum de Vineis; unde *Canoniſtarum ſplendor & Juris parens* dici eſt meritus.

Innocentius V. Commentarium ſcripſit in Pentateuchum, Pſalmos, Evangelium Lucæ &c.

Joan. XIX. tantus literarũ amator fuit, ut Literatorum oſores palam dixerint *Joannem malle de literis, quàm de Pontificis munere loqui &c.*

### Pontifices Pſeudo-Pontificum & Schiſmaticorum Victores.

Fridericus II. Imp. per annos 30. à Pontifice Rom. alieniſſimus Cardinales complures in dura captivitate detinuit, ipſis Pontificibus necem machinatus: hanc ob cauſam ter vinculis Eccleſiæ illigatus eſt, nimirum ab Honorio III. Gregorio IX. & Concilio Lugdunenſi.

Hoc ſeculo etſi Pſeudo-Pontifices non fuerint, Itali tamen & Galli Cardinales in eligendis Pontificibus diſſidebant graviſſimè, crebrò relinquentes Sedem Pontificiam longo tempore vacuam: unde à Gregorio IX. & Cæleſtino V. editis decretis eligendorum deinceps Pontificum tempus ad decem dierum anguſtias eſt contractum.

### Pontifices Hæreticorum intra & extra Concilia Oecum. Condemnatores.

Innocentius III. Albigenſes hæreticos Gallorum armîs ſubegit.

Alexander IV. doctrinam Guilielmi Santamoris & flagellantium hæreticorum rejecit: extirpari etiam juſſit doctrinam Almarici Pariſienſis Doctoris, qui, ſi Adam non peccâſſet, *nullam ſexûs diſtinctionem futuram fuiſſe unà cum alijs erroribus* docuit.

Damnati ſunt à Bonifacio VIII. Fraticelli Duce Hermaño Italo bellum Eccleſiæ moventes: ſpargebant autem 1. *proprii nihil habendum eſſe.* 2. *Rempublicam non poſſe à Chriſtianis adminiſtrari.* 3. *Viſionem DEI defunctorum animabus non concedi usque ad ultimum judicij diem.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

| Pontificum Nomen, Patria, plurium Stemma, Anni Sedis. | Pontifices Virtutibus & quibusdam Miraculis clariores. | Pontifices ab Augmento Eccleſiæ dato notiores. | Pontifices Rituū Eccleſiæ, dierum Feſtorum & Canonizationis Promotores. |
| --- | --- | --- | --- |
| SECULUM XIV.<br>193. Benedict. X. Venet. Paſtoris filius. m. 8.<br>194. Clemens V. Aquit. Nob. 8.<br>195. Joannes XX. dict. XXII. Gall. Sutoris fil. 18.<br>196. Benedict. XI. Toloſanus Molitor. fil. 7.<br>197. Clemens. VI. Gallus. 10.<br>198. Innocent. VI. Gallus. 9.<br>199. Urbanus V. Nob. Gall. 8.<br>200. Gregorius XI. Comes Belfort. Gallus. 7.<br>201. Urbanus VI. Neapol. 11.<br>202. Bonifacius IX. Neapolit. è Tomacellor. ſang. 14. | Benedictus X. natalium ſuorum probè memor, matrem non, niſi viliſſimo veſtitam habitu in conſpectum admiſit. D. Antonino teſte quindecim inſignia miracula à Benedicto X. patrata leguntur.<br>Benedictus XI. proprij contemptûs amantiſſimus, urgentibus Cardinalibus ut ſui in Pontificem electioni annueret, reſpondit: *num aſinum in Eccleſiæ Caput eligerent?* Pontifex dein etſi in omnes foret liberaliſſimus, conſanguineis tamen nihil conceſſit dicere ſolitus: *Romanum Pontificem non habere conſanguineos.*<br>Innocentius VI. his verbis Epiſcopos ad virtutes animare ſolebat: *ſuam & Eccleſiaſticorum omnium vitam cæteris exemplo eſſe debere ad imitationem Salvatoris noſtri, cujus tota vita ad inſtitutionem humani generis reſpexiſſet.*<br>Urbanus V. à Viterbienſi Patriarcha & Platina ſummis effertur laudibus, quibus *virtutum genere prioribus Pontificibus par, animi magnitudine major* fuiſſe ſcribitur.<br>Gregorius XI. reluctante Gallia tota Sedem Pontificiā Avenione Romam tranſtulit, cœlo clariſſimis ſignîs annuente.<br>Bonifac. IX. à Card. Viterbienſi hunc in modum laudatur: *agebat Bonif. ætatis annum 30. quem homines in ætatis flore tantâ ſapientiâ, virtute, moderatione &c. præditum non ut hominem, ſed ut Numinis effigiem prædicabant, colebántque.* | Benedictus X. Bonifacij rigorem moderatus, Albertum I. Imp. novis privilegiis honoravit: Philippum Galliæ, Frideric. Siciliæ & Ericum Daniæ Reges cum duobus Card. de Columna Eccleſiæ communioni reſtituit.<br>Clemens V. etſi natione Gallus, acceptô de Alberti I. nece nuntiô, literas ad Imp. Electores continuò dedit, quibus monuit, ut absque mora Imperio Imperatorem præficerent, ne Philipp. Franc. Regem experirentur æmulum.<br>Urbanus V. Avenione Romam tranſlatus cum Carolo IV. & Joan. Palæologo, hoc Orientis, illo Occidentis *Imp.* res ſummi momenti tranſegit. In unam proinde convenêre denuo Romana & Græca Eccleſia; adoratus fuit ab utraque ſimul *Diviniſſimus Spiritus à Patre & Filio procedens.*<br>Gregor. XI. Cardinal. Collegium 23. auxit Capitibus, Æſtimator meritorum æquiſſimus. Virorum Eccleſiaſticorum mores emendaturus, Patriarchis, Archi-Epiſcopis & Epiſcopis mandata dedit, ut Concilia provincialia congregarent.<br>Urbanus VI. Viros Eccleſiaſticos 50. ſacra purpurâ ornavit.<br>Bonif. IX. contra Bajazethem Turcar. Imp. exercitum miſit Pontifex, Eccleſiæ & Imperij ſtudioſiſſimus Promotor. | Joan. XX. DD. Eccleſiæ Confeſſoribus aſſociavit Thomam Aq. & Thomam alterum Hesfordienſem in Anglia Epiſcopum.<br>Clemens VI. argumentis permotus gravibus, Galliæ Regi ſub utraque ſpecie ſacram Synaxin ſumendi copiā feciſſe ſcribitur. Jubilæum Romæ, añô quinquageſimo deinceps elapſo, celebrandum inſtituit; Jvonem Juriſperitorum decus & Elzearium in Provincia Gall. Comitem Beatorum numero adſcripſit.<br>Urbanus V. feſtum SS. Trinitatis poſt ſchiſma inter Latinos & Græcos ſublatum, toti Eccleſiæ ritu ſolenniori celebrandum commendavit.<br>Urbanus VI. feſtum Mariæ V. cui à Viſitatione nomen eſt, Eccleſiæ promulgavit; Jubilæi verò celebrationem ad annum 33. reſtrinxit, annorum illorum memor, quos in humana carne DEus homo in terris ſanctiores effecit. |

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

### Pontifices Religioſorũ Ordinum, ac Cœtuum &c. Confirmatores.

Benedictus X. Clericos cum Monachis de Sacramentorum adminiſtratione certantes ita compoſuit, ut Epiſcopis & Parochis de ſuo ſplendore ac jure nihil adimeret.

Joannes XX. Ord. Equitum Chriſti in Luſitania; S. Pauli Eremitæ in Hungaria & Grandimontenſium in Gallia ratum habuit.

Urbanus V. Ord. RR. virtutẽ promoturus, ſumptuoſa convivia, præſertim Novitiis vota Religioſa emittentibus onerosa, vetuit.

Urbanus VI. Ord. Equitum Periſcelidis in Anglia & S Hieronymi à B. Petro Gembacurta Piſano erectum inter Ordines RR. numeravit. De horum priori alij aliter ſentiunt.

Hoc ſeculo Joan. Armenorum Rex D. Franciſci, Humbertus verò II. Delphinus, translatis in Regem Galliæ bonis ſuis & juribus, D. Dominici habitum induit.

### Pontifices Literarum & Literatorum magni Æſtimatores.

Benedictus X. variorum librorum ſacrorum author per doctrinæ gradus ad ſupremum Eccleſiæ Solium aſcendit.

Clemens V. Conſtitutiones *Clementinas* dictas, conſcripſit, quas Joannes Clementis V. ſucceſſor juris publici fecit.

Joan. XX. dictus XXII. author libri de contemptu mundi, ſermones de B. Virgine, de Viſione beatifica &c. Pontificis doctiſſimi teſtimonia reliquit &c.

Benedictus XI. libros XX. de diverſiſſimis rebus elucubravit, Ciſtercienſis Ordinis, quin totius Eccleſiæ clariſſimum ipſe ſydus, quod Italiam erecta Veronæ Academiâ illuſtravit, privilegiîs verò Heidelbergenſem honoravit.

Clemens VI. teſte Petrarcha ſui temporis Philoſophus literatiſſimus & Theologus præſtantiſſimus, facilè ſuperavit omnes memoriæ capacitate.

Urbanus V. Bononienſe Gymnaſium reſtitutũ privilegiîs promovit, ipſe à Petrarcha ob eruditionem plurimùm ornatus.

### Pontifices Pſeudo-Pontificum & Schiſmaticorum Victores.

Joan. XX. Petrum Corvaram *Nicolaum V.* dictum, ſchiſma condemnantem & ultro ſe denique ſubijcientem in gratiam recepit.

Clemens VI. Colæ facinoroſi, atque ex infima plebe hominis Romani Pontificis & Cæſaris authoritatem contemnentis machinationibus multùm eſt afflictus.

Robertus Gebennenſis à collectis Avenione Cardinalibus Pſeudo-Pontifex, *Clemens VII.* appellatus, Urbano *VI.* vehementer obluctatus eſt, ita diſponente maxima Gallorum parte.

Bonifac. IX. Cardinales ſchiſmatici, ſublato Roberto Gebennenſi Petrum deLuna Aragonenſem, *Benedictum XIII.* vocatum, oppoſuerunt adverſarium; quod fuit ſchiſma Eccleſiæ maximè diuturnum.

### Pontifices Hæreticorum intra & extra Concilia Oecum. Condemnatores.

Joan. XX. Gerardum Cottum & alios hæreticos, *beatis animabus viſionem DEI ante carnis reſurrectionem* negantes, condemnavit.

Urbanus V. Beguardorum & Beguinorum, *Divinam gratiam, beatitudinem & Epiſcoporum Statum* impugnantium hæreſes in Concilio Lugdunenſi jam condemnatas, penitus eradicare laboravit.

Clemens V. Dulciniſtas & Templarios de enormibus ſceleribus ad ſe delatos ſuſtulit.

Joannes XX. & Succeſſores deteſtati ſunt 1. Lolardum de *B.V. & SS. Angelis* hæreſin ſpargentem. 2. Poliacum Pariſienſ. Doct. *Confeſſionis auricularis & Pontificiæ authoritatis* hoſtem. 3. Javonitium de *Anti-Chriſti adventu &c.* errores docentem &c.

Ad finem hujus ſeculi Wicleffus natione Anglus ultra 40. ſpargens errores, à multis dein Pontificibus damnatos, proſcriptus eſt.

| Pontificum Nomen, Patria, plurium Stemma, Anni Sedis. | Pontifices Virtutibus & quibusdam Miraculis clariores. | Pontifices ab Augmento Eccleſiæ dato notiores. | Pontifices Ritui Eccleſiæ, dierum Feſtorum & Canonizationis Promotores. |
|---|---|---|---|
| **SECULUM XV.**<br><br>203. Innocentius *VII.* Sulmonenſ. 2.<br>204. Gregorius *XII.* Venet. 2.<br>205. Alexan. V. Cretenſ. m. 10.<br>206. Joannes *XXI.* dict. *XXIII.* Neapol. Nob. 5.<br>207. Martinus *III.* dict. V. Rom. Nob. 13.<br>208. Eugen. *IV.* Venet. 15.<br>209. Nicolaus V. Lucenſis. 8.<br>210. Caliſtus *III.* Valent. Nob. Hiſpan. 3.<br>211. Pius *II.* Senenſ. Nob. 5.<br>212. Paulus *II.* Venetus ex Barborum ſtirpe. 6.<br>213. Sixtus *IV.* Ligur. 13.<br>214. Innocentius *VIII.* Genuenſ. è vetuſto Cyborum ſanguine. 7.<br>215. Alexander *VI.* Hiſpan. Nob. 11. | Gregorius XII. in Concil. Conſtantienſi univerſorum Patrum votis reſpondit, paratiſſimus electo Pontifici obedire, nunquam deinceps Pontifex imperare. Gregorium hunc D. Antonin. D. Stephano M. comparavit ob ſummam in adverſis conſtantiam.<br><br>Alexander V. creatus Pont. in pauperes munificentiſſimus dixit non rarò, *ſe divitem Epiſcopum fuiſſe, inopem Cardinalem, Pontificem verò mendicũ factum.*<br><br>Eugenius IV. viginti aureorum millia in pauperum turmas diſtribuit, inchoaturus in Collegio Canonicorum R R. tyrocinium; Pontifex dein creatus virtutibus ſuis orbem illuſtravit.<br><br>Nicolaus V. Pont. ab Aenea Sylvio, dein Pont. Pio *II.* prorſus exquiſitis ornatus eſt laudibus, quas Lector in libro edito deprehendet facilè.<br><br>Pius *II.* omni virtutum genere excultus, in agone Card. Papienſi hæc dixit verba: *ſcito me, ex quo ſemel ſanctiſſimæ DEI Matri me ſeriò devovi, ab epidemia ſemel, à lethalibus langueribus ſæpè, ex manifeſtis periculis ſæpiſſimè ereptum fuiſſe.* | Alexander V. datîs ad Imperatorem, Reges & Viros Principes epiſtolis, ſacram militiam contra Turcarum exercitus accendere ſummô ſtudiô conatus eſt.<br><br>Martinus III. dict. V. Conſtantiæ in Concilio electus Pontifex ſummô omnium gaudiô, res Eccleſiæ expedivit adeò, ut Imperator Electoribus Pontificijs univerſis ac ſingulis grates dixerit ſingulares, quòd *Virum Reipublicæ tam utilem ac neceſſarium elegerint.*<br><br>Eugen. IV. Concil. Baſileenſe à Martino V. inchoatum, ad emendandos plurimorum mores continuavit: corrupto autem eodem Concil. Ferrariæ primò & demum Florent. indixit *Synodum inter Oecum. XVII.*<br><br>Caliſtus III. electus Pont. audita Conſtantinopolis expugnatione, editô votô Numini divino promiſit, ſe per reſiduam vitæ ſuæ partem haud ulli vel labori vel ſumptui parciturum, ut Turcarum potentiæ ſupremis totius Europæ viribus occurreretur.<br><br>Pius II. publicè Baſileæ Concil. contradicens, Eccleſiæ univerſæ & Imperio Rom. profuit &c. | Innocentius VII. præcepit, ut ſi feſtum DD. Joannis & Laurentij die Dominica celebraretur, Symbolum Fidei non omitteretur ad illud usque tempus non ita obſervatum.<br><br>Paulus II. Cardinalium capita tegumentô damasceno aut ſerico exornari permiſit: Tiaram Pontificiam coronâ triplici lucidiorem & unionibûs pretioſiorem reddidit.<br><br>Sixtus V. præcepit, ut feſtũ Deiparæ absque macula Conceptæ *ritu ſolenni* celebraretur 8. Decemb.<br><br>Caliſtus III. Divorum cœtui adſcripſit Vincentium Ferrer. Edmundum Angliæ, Ladislaum Hung. Reges, & Roſam Viterbienſ. V.<br><br>Pius II. verò Catharinam Senen. & Innoc. VIII. Leopoldum Auſtriæ Marchionem; poſtquam Sixtus IV. ſimilem honorem exhibuit DD. Bonaventuræ & Joanni Bonæ. |

| Pontifices Religioſorū Ordinum, ac Cœtuum &c. Confirmatores. | Pontifices Literarum & Literatorum magni Æſtimatores. | Pontifices Pſeudo-Pontificum & Schiſmaticorum Victores. | Pontifices Hæreticorum intra & extra Concilia Oecum. Condemnatores. |
| --- | --- | --- | --- |
| Sixtus IV. Ordinem D. Franciſci de Paula, & alterum D. Auguſtini Diſcalceatorum, ùt vocant, cæteris Ordinibus Religioſis annumeravit.<br><br>Confirmati ſunt à Sede Romana hoc ſeculo Ordines RR. varij; in Gallia nimirum Ordo Equitum Lilii. Ordo Equitum Annuntiatæ Virginis in Sabaudia. Ordo Equitum Aurei Velleris maximè in Auſtria & Burgundia. Ordo Equit. S. Michaelis denuo in Gallia. Ordo Equit. S. Ambroſij in Sabaudia; & demum Ordo Equitum S. Georgij in Hungaria & Carinthia. | Alexander V. ſcientiarum Magiſter creatus, Oxonienſe, Pariſienſe & alia Athenæa eruditione ſua illuſtravit, author complurium operum, Tractatum de Immaculata Conceptione edidit.<br><br>Martinus V. Lipſienſe, Merſeburgenſe & Elienſe Gymnaſiũ permultis gratiis decoravit, duodecim facilè partim Academiarum partim Gymnaſiorum author vel inſtaurator.<br><br>Eug. IV. teſtibus ſuis libris clariſſimus, gemino libro Concilium Baſileenſ. & Huſſitas impugnavit.<br><br>Pius *II.* de Nicolao V. hæc habet: *artibus ſeptem ſic à pueritia imbutus eſt, ut omnia præſentia ſint; Philoſophos omnes novit: Hiſtoricos, Poetas, Coſmographos, Oratores, Theologos item. Juris Civilis notitiam & Pontificii habet, nec Medicinam ignorat &c.*<br><br>Sixtus IV. & Alexander VI. doctrinæ fructibus comparârunt ſibi S. Sedis honores; magìs his Pius *II.* | Cùm ad initium ſeculi XV. Gregorius XII. Joan. XXI. & Benedictus XIII. de ſuprema Cathedra diſputârent, orta eſt controverſia ſchiſmati excitando peridonea, an Concilium non ſit ſupra Pontificem. Unde Martinus V. Gregorio XII. & Joanne XXI. ſponte ſua tandem omni jure cedentibus, Petrum de Luna *Benedictum XIII.* appellatum usque ad ultimum vitæ halitum expertus eſt adverſarium; quem ſecutus eſt Ægidius Barcinonenſis Canonicus *Clemens VII.* ab Hiſpanis vocatus.<br><br>Conciliabulum Baſileenſe Eugenio *IV.* oppoſuit Pſeudo-Pontificem Amadæum Sabaudiæ Ducem *Felicem V.* nuncupatum, qui demum Nicolao V. Eugenij IV. Succeſſori ejurato ſchiſmate ſacramentum dixit. | Martinus V. Joannem Huſs ſuis erroribus contra varios Fidei articulos & authoritatem Rom. Pontificis latè ſparſis pertinaciter inhærentem, condemnavit; quem proin Imperator infami rogo concremandum carnifici tradidit.<br><br>Eugenius IV. in Concilio Baſileenſi & dein Florentino Bohemorum hæreſin condemnavit, multos Wicleffi & Huſſij errores propugnantem.<br><br>Pius II. & Succeſſores Pontifices Huſſitas *in Pragenſes, Thaboritas* & *Orphanos* ſeſe diſtinguentes, anathemate confixerunt. |

| Pontificum Nomen, Patria, plurium Stemma, Anni Sedis. | Pontifices Virtutibus & quibusdam Miraculis clariores. | Pontifices ab Augmento Eccleſiæ dato notiores. | Pontifices Rituũ Eccleſiæ, dierum Feſtorum & Canonizationis Promotores. |
|---|---|---|---|
| SECULUM XVI.<br>216. Pius *III.* Senenſis è genere Piccolominea. d. 26.<br>217. Julius *II.* Genuenſ. Nob. 9.<br>218. Leo X. Florent. Med. 8.<br>219. Hadrian. *VI.* Germ. textoris fil. 10.<br>220. Clem. *VII.* Flor. Med. 10.<br>221. Paulus *III.* Rom. gener. Farneſ. 15.<br>222. Julius *III.* Nob. Rom. 5.<br>223. Marcellus *II.* Thuſc. d. 22.<br>224. Paulus *IV.* Neapolitan. Illuſtris. 4.<br>225. Pius *IV.* Mediol. Med. 5.<br>226. D. Pius *V.* Mediolan. è Gisleriorum ſtirpe. 6.<br>227. Gregorius *XIII.* Bonon. Nob. 12.<br>228. Sixtus V. Picenus. ex paup. parent. 5.<br>229. Urbanus *VII.* Patritius Genuenſ. d. 12.<br>230. Gregorius *XIV.* Sfondrat. Mediolan. Nobiliſſ. m. 10.<br>231. Innocentius *IX.* Bonon. Illuſt. m. 2.<br>232. Clemens *VIII.* Flor. Nob. 13. | Tam Leo X. quàm Hadr. VI. tantarum virtutũ fuerunt Pontifices, ut, quod inimici reprehenderent, non invenerint.<br>Paulus III. poſt virtutem conſtantiſſimã per an. 40. in Purpuratorum Senatu probatam, omnium Elector. Pontificiorum conſenſu intra & extra Conclave eſt electus Pont. Marc. item II. Paul. IV. & S. Pius.<br>Marcellus II. & Pius IV. cæleſtis columbæ præſentiâ juvantur in negotijs.<br>Paulus IV. Patribus ſanctiſſimis à ſuis arbitris ſemper eſt comparatus, *Viri S. nomine* appellatus in Italia, Anglia, & Hiſpania, ubi Legatus Pont. agebat. Nepotum ſuorum fraudes edoctus, ſeveriſſimam in eos tulit ſententiam.<br>D. Pius in muneribus omnibus *boni Paſtoris nomen* implevit, in Pont. divinitus electus denique victoriam prope Echinadas Inſulas de Mahumetanis reportatam, vates prædixit &c.<br>Gregorium XIII. exquiſitiſſimis virtutibus conſpicuum Pontificem, gratulatus eſt ſibi orbis Chriſtianus univerſus.<br>Gregor. XIV. in egenos manſuetiſſimus, ſub peregrino habitu ædes ſacras & pauperum domos ſolebat luſtrare.<br>Clem. VIII. dum electus eſt Pontifex, mox per 9. continuos dies templa omnia Romæ viſitavit &c. | Julius II. Concil. *Lateranenſe V. Oecum.* contra Piſanum conciliabulum inchoavit.<br>Leo X. diſſidentes Chriſtianorum Principum animos, amicitiæ vinculô conjunxit dans ſucceſſum ſecundiſſimum Concilio Lateran. Bellum contra Mahometanos promovit. Cardinales 31. Clemens VII. 32. Paulus III. univerſim 71. creârunt.<br>Clem. VII. ad cavenda mala maxima, & bona promovenda optima, creatus Pont. ſingulari ardore univerſæ Eccleſiæ promulgavit Jubilæum, ab operibus pœnitentiæ inter turbas publicas ſperans fructus uberrimos.<br>In *Concilio Trid. inter Oecum. XVIII.* per Legatos ſuos egit multa Julius III. cum Archi-Epiſcopis & Imperij Electoribus, Moguntino, Trevir. & Colon. ut Germaniæ laboranti ſuccurreret.<br>D. Pius V. cùm Eliam Heb. ad ſacra Rom. à ſe converſum in Gisler. familiam adoptâſſet, eo præclaro facto trecentos Hebræos lucratus eſt. Ob Galliam ab omni hæreſi immunem converſandam, & Turcas procul Europæ finibus propulſandos, præter ingentem navatam operam, auri argentíque ſum̃am maximã expendit.<br>Sixtus V. pro diverſ. cauſ. 15. diverſ. Congreg. inſtituit, ita tamen, ut majoris momenti cauſas ad ſupr. referrent Jud. | Pontifices hujus ſeculi triduanas ſeu 40. horarum preces publicas diebus ſaturnalitijs haberi cæptas laudârunt.<br>Pius IV. Varias Sodalitates ad cultum Deiparæ augendas, à Societate JEſu erectas unà cum ſucceſſoribus Pont. indulgentiis multîs promovit.<br>D. Pius poſt relatã victoriã adversùs Mahumetanos, in honorem M. Virginis feſtum inſtituit *MARIÆ de Victoria* appellatum. D. Thomam Aquinatem inter Doctores Eccleſiæ numeravit.<br>Sixtus V. inſtituit feſtum Præſentationis B. V. cui acceſſerunt ſacri honores, decreti DD. Franciſco de Paula, Januario Epiſcopo & ſociis MM. Nicolao Tolentin. Petro M. Placido, Eutychio, Victorino & hujus ſorori Flaviæ, Bonaventuram Eccleſiæ Doctoribus annumeravit.<br>Clem. VIII. Divorum faſtis inſcripſit Hyacinthũ Polonum, Raymundum Barcinon. Stanislao Koska & Agneti è monte Polit. Beatorum honores decrevit. |

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pontifices Religioſorũ Ordinum, ac Cœtuum &c. Confirmatores.**

Leo X. & Hadrian. VI. Franciſco de Paula & Antonino Sanctorum honores tribuentes, D. Dominici & ejusdem D. Franciſci Ordines honorare ſtuduerunt.

Clementi VII. laudes ante alios dicunt maximas quatuor Religioſorum Ordines, ab eo probati: eorundem primum *Capucinorum*, alterum *Theatinorum*, tertium *Somaſcorum*, & ultimum *Barnabitarum* nuncupavit.

Paulus III. Societatem JEſu *digitô DEI monſtrante inventam*, ùt ipſe affirmabat, confirmavit.

Paulus IV. nondum Pont. oblatis ſibi arduis honoribus, vitam Religioſam præhabens, novam Canonicorum Reg. Congregationem inſtituit, quam oreatus Pont. multîs modîs comprobavit.

Pius IV. D. Thereſiæ Regulas, tum virorum tum fœminarum cætibus peridoneas, ſtabilivit. Pius IV. Congregationem Oratorij S. Philipp. Nerij & Equites S. Steph. Sixtus V. Clericos Reg. dictos *Minores*; Gregor. XIV. *Miniſtrantes infirmis*; Clem. denique VIII. *Eremit. Excalceatos* RR. Ordinibus accenſuit.

**Pontifices Literarum & Literatorum magni Æſtimatores.**

Leo X. Latino ſimúlque Græco idiomate apprimè inſtructus, & in juventute jam Viris doctiſſimis par habitus, tot epiſtolas, orationes & carmina ſcripſit, ut multis libris conficiendis ſufficerent.

Hadrian. VI. ob inſignem doctrinam Carolo V. Præceptor datus eſt.

Jul. III. Romæ Colleg. erexit, peropportunum Germ. juvent. Sem.

Paulus IV. Græcâ, Hebræâ & Latinâ linguâ imbutus, Philoſophiam, Jurisprudentiam & Theologiam præclarè didiciſſe legitur.

D. Pius V. fecit poteſtatem Societati JEſu docendi Romæ literas tum manſuetiores tum ſeveriores & ex his conferendi Gradus.

Greg. XIII. etiamnum juvenis, Juris interpres in Bonon. Athenæo inter auditores ſanguine, virtute & dignitate præſtantiſſimos, veneratus eſt Cardinales Alexand. Farneſium, Madrutium, Otton. Truchſeſſium, Reginald. Polum, Carol. Borom. &c.

Sixtus V. *Doctorum Doctor* dici promeritus, ſuperiorem ſe neminem vix pares invenit in Italia.

**Pontifices Pſeudo-Pontificum & Schiſmaticorum Victores.**

Ludovicus XII. Francorum Rex contra Julium II. Pont. ob fœdus cum Maximiliano Cæſare initum Cluniacenſem Abbatem eligi curat Pſeudo-Pontificem. Adversùs Julium II. etiam conciliabulum Piſanum à Pontificis hoſtibus fuit propugnatum & ſchiſma prolongatum.

Clemens VII. Henrico VIII. divortium à Catharina conjuge legitima, pertinaci animo molienti, nuptias verò cum Anna Bolena anhelanti, & Pontificis authoritatem penitus ſpernenti minatur anathema; eundem denique Henricum, excuſſo omnis honeſtatis frœnô *ſe Caput Eccleſiæ Anglicanæ* dicentem anathemate configit.

Sixtus V. Navarræ Regem Henricum Borbonium, & Condæum Principem, Hugonotarum & ſchiſmaticorum fautores ſacrîs privat.

**Pontifices Hæreticorum intra & extra Concilia Oecum. Condemnatores.**

Leo X. Doctores *Reformationis* nomine ſuperbos, cæpit anathematizare; idem fecit Hadrianus VI. miſſis in Germaniam & Hungariam Card. Legatis.

Julius III. Lutheri, Calvini &c. libros, clam in Italiam perlatos, legi prohibuit, propoſitâ anathematis ſententiâ. Similem ſententiam tulit

Paulus IV. qui confectam prohibitorum librorum ſummam S. Inquiſitionis Tribunali commiſit.

D. Pius rogante D. Borgia Cardinalium Congregationes inſtituit geminas, *alteram de hæreſi extirpanda, alteram de Fide propaganda cognominatam.*

Gregorius XIII. Conventui Ratisbonæ obſtitit, viginti tria ſeminaria erudiendæ juventuti peridonea per diverſas Europæ partes erexit.

Sixtus V. S. Scripturæ Codices juxta veriora & vetuſtiora Hebræorũ Græcorúmque exemplaria in lucem edidit; ſimilem operam impendens 72. Interpretum libris.

| Pontificum Nomen, Patria, plurium Stemma, Anni Sedis. | Pontifices Virtutibus & quibusdam Miraculis clariores. | Pontifices ab Augmento Eccleſiæ dato notiores. | Pontifices Rituũ Eccleſiæ, dierum Feſtorum & Canonizationis Promotores. |
|---|---|---|---|
| SECUL. XVII.<br><br>233. Leo XI. Flor. Med. d. 29.<br>234. Paulus V. Rom. ex Burgheſiorũ ſtemmate. 15.<br>235. Gregorius XV. Bononienſ. ex Ludoviſiorum ſtirpe. 2.<br>236. Urban. VIII. Florentin. ex Barberinor. ſang. 20.<br>237. Innocentius X. Rom. ex Pamphilior. proſap. 10.<br>238. Alexander VII. Senenſ. Nobiliſſ. 12.<br>239. Clemens IX. Florentin. Nobiliſſ. 2.<br>240. Clemens X. Rom. è perveтuſta Alteriorum fam. 6.<br>241. Iñocent. XI. Comenſis ex Odeſcalchor. proſap. 12.<br>242. Alexander VIII. Ottobonus Venetus. 1.<br>243. Innocentius XII. Neapol. Pignatellor. genere clarus. 9. | Paulus V. Magnæ Virgini didicit adeò eſſe devotus, ut inter virtutes eximias virgineum candorem conſtanter conſervatum ſecum in tumulum, imò in cœlum aſportârit, nullius gravioris culpæ ſibi conſcius. In ſolos pauperes quindecies centena aureorũ millia expendit: octoginta nummûm aureorum millia in annonæ ubertatem conſervandam ſolvit.<br><br>Urban. VIII. electus Pont. ante Deum Euchariſticum proſtratus, enixiſſimè petiît, ut ſi minùs Eccleſ. regendæ idoneus foret, ne vivus illo loco permitteretur egredi.<br><br>Innoc. X. in extrema rerum caritate egenos ſolaturus, datâ annonâ copioſiſſimâ, ſemel iterúmque urbis compita pertranſiît, ut venales panes exploratos haberet &c. Advenas etiam ſibi per plateas obvios paterno ſimul affectu & datis muneribus recreavit.<br><br>Clemens IX. monetam cudi, & ſuper eam pellicanum hac cũ inſcriptione formari juſſit: *aliis non ſibi Clemens.*<br><br>Clem. X. honorem Pontific. etiam lacrymîs in plures horas continuîs averſari perſeveravit, præbens humilitatis exemplum jam annis 70. conſtantiſſimum.<br><br>Innoc. XI. *Pater pauperum* dictus, virtutibus ita erat ornatus, ut ipſi Lutheri & Calvini aſſeclæ eum hodie laudibus proſequantur. Innocentii electionem ratam habuit columba cæleſtis, quæ repetito volatu Congregatorum Patrum cætui applaudere eſt viſa. | Leo XI. Henrico M. Francor R. acceptiſſimus, Charlottã, Condenſium fæminã Principẽ, ejuratâ Calvini doctrinâ R. Eccleſiæ reſtituit. Hoc Doctore etiamnũ Card. 50. juvenes Romæ ſimul errores ſuos deteſtati ſunt a. 1600.<br><br>Pauli V. zelus ad Perſas, Indos &c. ſeſe extendit, quorum Leg. paternè eſt complexus.<br><br>Greg. XV. adverſus hoſtes, auxiliares copias miſit; Henricũ Galliæ contra Hugonotas, Philippum Hiſpaniæ contra Batavos, Sigismundum Poloniæ Reges contra Turcas animavit, mittens gravem auri ſum̃am & belli ſocios. Idem præſtitit Innoc. X. Venetis, Melitenſibus, Scotis, Hybernis &c. Huic Pontifici, ad Rom. ſacra converſi Sacramentũ dixerunt Eduard. Comes Palat. Philippus Guiliel. Neoburgicus cum Princ. conjuge Amalia &c. Udal. Dux Wirtenb. Joan. Frideric. Dux Brunſuic. Dux Holſat. Frider. Haſſiæ Landgrav. &c.<br><br>Inter pauperes à Clem. IX. conſtanter lautè habitos venêre mutatis veſtibûs hæretici multi, ab eodem hæreſes dedocti.<br><br>Alexand. VIII. Venetis, popularibus ſuis, haud immeritò favens plurimùm, Turcarum copias eorundem auxiliô & compoſita inter Princ. Chriſtianos pace repreſſit. In favorem Venetorũ Laurentium Juſtin. publico Divorum cultu honoravit.<br><br>Innoc. XII. Italiam, Illyricum, Germaniam & Poloniam ipſo teſte Leopoldo M. Cæſare, virtutibus ſuis illuſtravit. | Paulus V. DD. catalogo inſeruit Car. Boromæum & Franciſcam Rom. Beatorũ verò Ignatium Lojol. Franciſ. Xav. Philippum Neriũ, Thereſiã, Ludovicum Bertrand. Thomã Villanov. Iſidorum, Joachimũ Senenſ. Stanislaum Koſtka, Aloyſium Gonz.<br><br>Urban. VIII. Andream Corſin. Catharinam Senenſ. Eliſabetham Luſit. Reg. in Sanctorum cœtum, in Beatorum verò adlegit Franciſcum Borgiam, Andream Avellin. Fr. Felicem, 3. Japoniæ MM. S. J. & alios plures ex Ord. S. Franciſci.<br><br>Alexand. VII. Divorũ albo inſcripſit nomina Thomæ Villan. & Franciſci Saleſ.<br><br>Clem. X. Cajetanũ, Franciſcum Borg. Philippũ Benit. Ludovicum Bertrand. Roſam &c. inter Sanctos, inter Beatos verò cenſuit Albertum M. Ferdinandum Caſtellæ Regem, & Ludovicum Albertonum.<br><br>Urb. VIII. Card. *Eminentiſſimos & Reverendiſſimos*, Innoc. X. verò omiſſo nomine altero, *Eminentiſſimos* duntaxat dici poſtulavit, etſi Regio aut Principum ſanguine Purpuram decorâſſent.<br><br>Alex. VII. Dei Genitricẽ nullius peccati labe unquam contaminatam fuiſſe Eccl. tenendũ præſcripſit, inter dogmata tamen necdum numeravit. |

**Pontifices Religioſorũ Ordinum, ac Cœtuum &c. Confirmatores.**

Paulus V. Ordines RR. aut fundavit, aut inſtauravit: quales ſunt VV. à B.V. Eliſabetham viſitante; à D. Urſul. & aliæ &c. in Ecclefia nomen habentes. His ſupervenit ab eodem confirmatus Equitum Ordo SS. Sanguinis JEſu Chriſti Mantuæ, Congregatio Oratorij JEſu in Gallia, & denique Ordo Militiæ à Duce Nivernenſi erectus.

Innocentius X. geminum RR. Virorum Ordinem Eccleſiæ vix utiles ampliùs exterminavit, alterum *Apoſtolorum*, alterum *B. Blaſij* in Armenia.

Alexander VII. Regulas à D. Franc. Saleſio virginũ cœtibus præſcriptas probavit.

Innocent. XI. Ord. Equitum S. Andreæ in Scotia à Jacobo II. Reg. inſtauratum privilegiîs communivit.

Urbanus VIII. Ordinem *Scholarum piarum*, & Clericos Lucenſes *Matri DEI* dictos, nec non Clericos *alios in commune viventes*, ùt vocant, admittendos cenſuit.

Innocentius XII. Ordinem Equitum S. Ludovici, à Ludovico XIV. inſtitutum, favore Pontificiô eſt proſecutus.

**Pontifices Literarum & Literatorum magni Æſtimatores.**

Paulus V. Clementi VIII. Hiſtoriæ Eccleſiaſt. Promotori, trium Seminariorum & Collegij Clem. Romæ authori ſuccedens, ædificijs magnificentiſſ. adjecit Bibliothecã Vatican. & Archivium Apoſtolicum.

Greg. XV. in German. Collegio manſuetioribus, in Romano ſeverioribus literis, Bononiæ utriusque Juris laureâ inſignitus verbîs, factîs, & editis libris ſpecimina dedit Pontificis ſcientiis inſtructiſſimi.

De Urbano VIII. ſic habet Oldoinus: *floruit Poëſi, & Philoſophiæ laude: princeps fuit in Jure; ſacras linguas apprimè calluit: Theologiam pervaſit; Græcos Latinosq; Patres evolvit ac comprehendit: Orationis facundiâ & Hiſtorica cognitione nemini ceſſit.*

Innoc. X. an. ætatis 20. jam inter Doctores eminens, laureâ donatus ſcientias exornavit.

Alexander VII. etiamnum juvenis, jam Poetam, Hiſtoricum, Oratorem, Philoſophum, Jurisperitum ac Theologum, ad omnia ſumma natum, factô ſui perſæpe periculô publicô ſe monſtravit.

Clemens IX. Innocent. XI. Alexander VIII. aliíque clariſſimi verè multi Pontifices ſcientijs locum his in anguſtijs non habent ſufficientem ſibi.

**Pontifices Pſeudo-Pontificum & Schiſmaticorum Victores.**

Clemens IX. in Harduinum, Pariſienſem Archiepiſcopum aliósque Galliæ Antiſtites, formulæ ab Alexandro VII. editæ ſubſcribere detrectantes, ſeverè animadvertit &c.

Innocentius XI. nonnullos Galliæ Epiſcopos Romani Pontificis authoritatem propoſitionibus ſuis criminari non veritos, Conciliorum verò poteſtatẽ nimiùm extollere conatos, ſuppreſſit, nemini, niſi optimè merito concedens honores Eccleſiaſticos.

**Pontifices Hæreticorum intra & extra Concilia Oecum. Condemnatores.**

Innocent. X. paci Monaſterienſi conſtanter contradixit, eoquòd faveret nimiùm Proteſtantibus. Librum de *duplici Eccleſiæ Capite*, in Francia editum, Cornelij Janſenij propoſitiones condemnavit, datîs ea de re literîs Apoſtolicîs.

Alexander VII. Janſenij Iprenſis propoſitiones *de gratia & libero arbitrio* ab Innocentio X. jam damnatas damnatione altera proſcripſit, præcludens aditum quibusvis interpretibus.

Innocentius XI. Michaelem Molinos, Quietiſmi, hoc eſt 58. propoſitionum praviſſimarum authorem, cum ſocio Antonio Maria condemnatum perpetuo carceri mancipavit.

Innocentius XII. novas interpretationes ſupra Janſenij Iprenſ. propoſitiones & ſecutam Pontificum damnationem editas, & edendas, prohibuit, Epiſcopos Belgij ſeriò officij ſui commonens, ne inter oves paterentur lupos pellibus ovinis veſtitos.

| Pontificum Nomen, Patria, plurium Stemma, Anni Sedis. | Pontifices Virtutibus & quibusdam Miraculis clariores. | Pontifices ab Augmento Eccleſiæ dato notiores. | Pontifices Rituũ Eccleſiæ, dierum Feſtorum & Canonizationis Promotores. |
|---|---|---|---|
| SECULUM XVIII.<br><br>244. Clem. XI. ex illuſtri proſapia Urbini natus. 21.<br><br>245. Innocentius XIII. ex illuſtriſſima Rom. Principum familia de Comitibus, de quo ſilet hæc tabula, mortuorum duntaxat Pontificũ memor. | Clem. XI. per an. 21. difficillimis profectò temporibus Sedem Pontificiam ita poſſedit, ut multorum eorúmque clariſſimorum Pontificum virtutes, velut compendiô complexus fuerit, Pontifex liberalitate, manſuetudine, juſtitiâ, zelô, vigilantiâ, providentiâ &c. maximè inſignis. | Clemens XI. per diverſos annos Cardinales univerſim 50. aut fortè plures ſibi conſtituit adjutores, totius Eccleſiæ Romanæ cardines firmaturus magis. | Clem. XI. Divorum numero accenſuit Pium V. Pont. Andream Avellin. Felicem Cantalic. Catharinam Bonon. Stanislaum Koſtka necdum tamen ſolenni ritu Eccleſiæ promulgatum. Beatorum honores publicos Joañi Franciſco Regis decrevit. |

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

| Pontifices Religioſorū Ordinum, ac Cœtuum &c. Confirmatores. | Pontifices Literarum & Literatorum magni Æſtimatores. | Pontifices Pſeudo-Pontificum & Schiſmaticorum Victores. | Pontifices Hæreticorum intra & extra Concilia Oecum. Condemnatores. |
| --- | --- | --- | --- |
| | Clemens XI. in Collegio Romano poſitîs literarum fundamentis, tales ſuperimpoſuit ſcientias, quales procul dubio noverit orbis ferè univerſus, multîs Clementinæ doctrinæ illuſtratus exemplis. | | Clemens XI. Beccarellos & Urbanum Fieſchi cum ſuis aſſeclis, *novis Pelagianis* ad ſacrum Inquiſitionis Tribunal pertrahi juſſit. Centum & unam propoſitiones Janſenio faventes condemnavit, parem ſententiam ferens in refragantes Bullæ *Unigenitus*. |

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN